CONFVTATIO TREMELLIANA,

Cui adiuncta eſt

METHODVS

BREVISSIMA ET CERTISSIMA

Reducendi Errantes Animas ad veram Catholicam Fidem.

REVOCATORIÆ TREMELLIANÆ

REVOCATIO AD CALCVLOS VERITATIS ET MODESTIÆ.

HOC EST

CONCIONIS AD POPVLVM STRALSVNDANVM PRIORI ANNO A IOAN. GEORGIO TREMELLIO APOSTATA HABITÆ,

In qua Lutheraniſmum profitetur publicè, Catholiciſmum contra cum intolerandis aduerſus Catholicos calumnijs eiurat,

CONFVTATIO,

Quam typis vulgauit

R. P. CHRISTOPHORVS OTT SOC. IESV, ECCLESIÆ CATHEDRALIS AVGVSTANÆ ECCLESIASTES.

Cum facultate Superiorum.

AVGVSTÆ VINDELICORVM, TYPIS VERONICÆ Apergerin Viduæ.

Anno M, DC. LXII.

AD LECTOREM.

DVo requires fortaſſis à me in anteceſſum, benigne Lector. vnum, cur Tremellium Stralſundæ commorantem ego hic Auguſtæ tam longè ſepoſitus refutem? Alterum, cur idiomate Latino, cùm Germanico ipſe in concione revocatoria, quam refello, fuerit uſus? Breuiſſimè reſpondeo tibi ad utrumq́. In multorum, præſertim Acatholicorum manibus verſabatur, atq́ etiamnum verſatur hic loci Revocatoria Tremelliana, & triumphus inde agebatur planè Auguſtalis ab Auguſtanis ÿs, qui ſequioris Religionis ſunt, civibus noſtris. Triumphe! hoc ut caſtigarem, ad concionem dixi bis, & Tremellÿ præcipua omnia, quantum aſpirauit cælum, confutaui. Sed quantuli ex tanto populo, præſertim Lutherano, erant, qui dicentem audiuerunt? Pergunt ergo hodieq́ contra Catholicos triumphum, ſed ante victoriam, canere, quod idem intelligo in alÿs Acatholicorum vrbibus, præſertim verò Emporiis Septentrionalibus fieri. Quàm abſona verò hæc Muſica ſit, cantuſq́ intempeſtiuus, præſens ſcriptum, quod ulterius, quàm vox mea penetrabit, docere poterit, & citharam fortaſſe in luctum convertere lugentibus ſalutarem, quod quæro unicè. Latino autem idiomate ſum uſus, ne æquè imprudens eſſem, ac Tremellius fuit, qui cum Dialectica, & Theologiæ Scholaſticæ arcana, ut ipſe putat, non pauca interſerat Reuocatoriæ ſuæ, ex eo videtur plauſum quaſiuiſſe, ut Germanicè loquens non intelligeretur ab iis, qui germanicam ſolam callent, à quibus ſanè non intelligitur. Ne offenderem itaq́ ad eundem lapidem, uſus ſum eâ linguâ, quâ ſolâ poteram intelligi, Latinâ: quâ Tremellius quoq́ uti debuerat ſolâ, ſi ſapienter agere voluiſſet. Vale.

PRÆFATIO
ad ipſum
IOANN GEORGIVM TREMELLIVM.

ALloquar te alienis primùm, mutuóq; ſumptis verbis; poſteà meis. *Grauiter & iniquo animo maledicta tua paterer*, Georgi Tremelli, *ſi te ſcirem iudicio magis, quàm morbo animi petulantiâ iſtâ uti. Sed cum in te neq; modum, neq; modeſtiam ullam animaduerto, reſpondebo tibi, ut ſi quam voluptatem maledicendo cepiſti, eam malè audiendo amittas. Cic. in Sal.* Hæc dicta tibi ſunto verbis non meis, ſed in te ex toto conuenientibus: mea nunc auſculta, & ſi ſalus æterna tibi curæ adhuc eſt, reſipiſce. Tractabo autem te, quàm ſcriptum hoc tuum mereatur, modeſtiùs, ne fraternitatis oblitus videri poſſim. tractabo ut ægrum, quemadmodum iam præfatus ſum, & morbi vi à ſenſibus alienum, cuius miſerearis rectiùs, quàm eidem iraſcaris.

Poſtulas, imò efflagitas ab aduerſariis tuis eam gratiam in Reuocatoria tua vernacula, pag. 5 o. ut falſa tua, ſi qua ſint (& ſunt abunde multa) refutent. In quo facis humané, ex ſpiritu, qui tibi adhuc aliquis hærere videtur, Catholico. Ita enim tui (ſi tamen ex animo tui) illos intelligo, apud quos degis modò, volens an inuitus? non ſolent Verba tibi tua admetior.

Jch bitte hiemit meine Widerſacher/ daß wann ſie in meiner Predig etwas finden / daß ich falſch vorbringe / vnd diſes mit jhrem Gwiſſen vor Gott anders befinden/ ſolches widerſprechen. Jch will mein Fähler geſtehn/oder erklären.

Cui preci tuæ eâdem vernaculâ ita reſpondeo. Jch find nit etwas/ſonder zimlich vil/vnd nur gar zuvil/ was jhr/ Herꝛ Tremelli, Falſch vorbringt/vnd diß befinde ich mit meinem Gwiſſen vor Gott anderſt/wils alſo als gebettner hiemit widerſprechen / vnd darauff mit ſonderem verlangen warten / daß Herꝛ Tremellius ſeinem verſprechen nach eintweders ſolliches beſtehe zu ſeinem ewigen nutz/den ich hie allein ſuche/oder erkläre ſich mit meinem/ vnd mehrer anderen frommen / daß er auch allein neben der Ehren Gottes ſolle ſuchen.

Nunc ergo Reuocatoriam tuam & ego Reuoco, ad calculos ſcilicet, & lapidem Lydium veritatis. Illud verò, Lector, monendus es, unum ſolum dogma Catholicum ſibi Tremellium ſumſiſſe oppugnandum, ſcilicet infallibilitatem Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ, quod vehementer gaudeo ab eo factum, ratio infra reddetur.

§. I.

Iudicium de Reuocatoria Tremelliana à pag. 1. uſque ad pag. 15.

DEdicatoria tua de magnete non eſt inornata; quin & valde religioſa in eo, quod præter Deos Democriti duos, plures alios, maximè marinos, Tritones utiq; & Sirenes veneretur; quorum etiam amores, vel ut verbo tuo utar (Buhlſchafften) cantas laudaſq;. Mirum in altera ſtatim pagina te Amores ſonare. Riſere lectores. Cur putas? Non addo cauſſam, ne præproperè erubeſcas. Progredior.

Thema tuum, quod ex D. Matthæi ſecundo capite ſelegiſti de magorum ſtella & adoratione, nobile eſt, & planè diuinum, quod meritò maiuſculis curaſti imprimi, quia tuæ concionis optima pars eſt. Ceterùm ſtella illa te non duxit eò, ubi nunc hæres, in ſtabulo quidem, ſed non Bethleemitico. Exor-

Exordium à pag. 5. uſq; ad 8. non eſt inconcinnum, ut appareat, te non nihil didiciſſe in ſcholis, Collegiiſq; Ieſuitarum, quibus tamen didactrum tu malè dependis in Revocatoria tua. Excuſo. Non poteras aliter. ſemper Dominum fugitiuus ſeruus accuſat. Illud tamen poteras omiſiſſe pag. 5. verſu antepenultimo & penultimo, quod de Martino Chemnitio alleuiſti elogium, appellando eum, ein hochgelehrten Geiſtreichen Mann/ (hominem ſelecti & ſpiritus, & Doctrinæ) cùm ignorare non poſſis, ſi doctus es, & librorum expertus, Chemnitium iſtum famam eruditionis omnem mille ſtrophis atq; adeo mendaciis, quibus libri eius ſcatent, inquinaſſe, atq; adeò decoxiſſe. Hoc non faciunt, die Geiſtreiche Männer. niſi tu alium forte Spiritum, quàm Sanctum intelligas, in quo nobiſcum ſentires. Negas hoc de Chemnitio? Refuta ergo vel tu vel alij, quæ vel ſolus ei Bellarminus tot locis, tam manifeſtò obiecit; ego verò oſtendi aliquando tui ſimilibus admiratoribus Chemnitij, maximè in materia de Indulgentiis, & in ruborem dedi non modicum, ipſiſq;, quod iucundiſſimum mihi erat, ſalutarem; quem etiam tuâ fronte, ſi vel ferrea ſit, confido elicere me poſſe, ſi Chemnitium tibi defendendum ſuſcipere volueris. Et utinam velis!

Sequitur Confirmationis tuæ Pars 1. ab 8. uſq; àd 15. paginam, quæ habet *propoſitionem*, ut vocamus, *Maiorem* Syllogiſmi tui, quem facere niteris contra Infallibilitatem Doctrinæ Catholicæ, quæ talis eſt, ſi breuiter colligatur.

Id quod nititur humanis tantùm rationibus & ſubtilitatibus, non reuelationibus diuinis, infirmum, minimeq́; infallibile eſt.

Quod quidem totum tibi, & ex toto concedimus, & ultro largimur. Acceptamus adeo & hanc Propoſitionem tuam, & eidem ſubiunctas probationes; quia Catholicæ ſunt, & vel ideo bonæ, probabiles, iuſtæ.

Sed hic, mi Tremelli, deſinunt laudes tuæ. Nulla deinceps pagina eſt, quæ non mereatur unguem, & obelum. Parum dixi. Sæpe nec periodus eſt, nec comma periodi, quæ non fœteant. loquar molliſſimè. quod prodam, ignoſces, *quoniam rogaſti me.* Excutiam autem primis paragraphis falſitates ſolùm, & calumnias Tremellianas, ut intelligat Lector, quo cum viro nobis res ſit. pòſt contextum eius ſigillatim, benè iuuante Numine, examinabo.

§. II.

Iudicium de Tremelliana Reuocatoria à pag. 15. & deinceps.

Ignoſces, Tremelli, ſi ficum dixero poſthac ficum, & carduum, carduum. Ipſa Grammatica id iubet; Ethica, quæ adulationem vetat, imperat; Sacra ſcriptura cogit; tu rogas. Habe ergo, ut nactus, habe ut meritus. Aſſumptionis tuæ ſiue minoris Propoſitionis, (quâ probare niteris nos fundamentis niti fallibilibus) primas

 ſolùm

ſolùm quindecim lineas ſi euoluat Lector, totidem prope pſeudologias (Latinè mendacia dixeris, à quo verbo ſtatim initio mihi abſtinendum duxi.)inueniet, certè decem. An non occinere liceat illud :

Ohe ! iam ſatis eſt, ohe ! Tremelli.

Decem Pſeudologiæ Tremellianæ in pag. 15. *non tota, lineis* 15. *periodis* 4. *in* §. Dann erſtlich weichet ſie/ꝛc.

I. Pſeudol. Ais verſu primo huius §. Nos Catholicos deſciſcere à Chriſto Capite, & conſtituere nobis in exautorati Domini locum Romanum Pontificem, ſeruum, peccatorem,&c. Negant omnesCatholici hoc verum eſſe; tua quoq; id negat olim Catholica conſcientia : Nec enim deſciſcit à Rege, qui Vicarium Regis pro Vicario colit; nec ab Epiſcopo, qui Vicarium Epiſcopi, pro Vicario, obſeruat &c. quod nos Catholici facimus, nec aliud facimus in colendo Vicario Chriſti, Pontifice Romano. Imò qui Vicarium vel nominat, eo ipſo ſuperius Caput aliud agnoſcit. Loqui ergo hic liceat tecum ex ſcriptura, & cum Daniele dicere : *Rectè mentitus es in Caput tuum. Dan.* 13. 15. idq; duplici ſenſu, miſerabilis Tremelli. Nam & in caput, id eſt, perniciem tuam es mentitus, & in CAPVT tuum Chriſtum, quem negas Eccleſiæ CAPVT à Catholicis agnoſci. Ergo Paulum omnes nos Catholici arguimus, & ſcripturam eius reiicimus, illam dico ad Epheſ. 5. v. 23. *Vir eſt Caput mulieris, ſicut Chriſtus eſt* CAPVT *Eccleſiæ* ? QuisCatholicorum hoc nefas eſt auſus? Indica,& tecum damnabimus. ſi verò nemo eſt auſus, reſorbe pſeudologiam tuam N. I. Sequitur altera,

II. Pſeudol. Huic capiti noſtro, Romano, inquam, Pontifici, ais periodo eâdem, attribuere nos *diuinam Potentiam* (ein Göttliche Macht.) Ohe ! Tremelli. quis Theologorum noſtratium hoc facit, quis Laicorum ? vbi legiſti inter Catholicos articulos iſtum : *Credo in Papam omnipotentem, Creatorem Cœli & Terræ* ? Hoc enim poſſe concedat neceſſe eſt ille, qui diuinam Papæ potentiam, id eſt, omnipotentiam tribuat. Ecce pſeudologiam N. II.

III. Pſeudologia Huic nectis tertiam periodo nondum abſolutâ, cum ais, attribuere nos Catholicos eidem Pontifici noſtro Infallibilitatem quoque Diuinam. (ein Göttliche vnfählbarkeit.) An noſti ſatis, Tremelli, infallibilitas Diuina quid ſit, & quæ ſola dici poſſit Diuina ? utiq; illa, quæ eſt Infallibilitas vniverſalis in ſenſu & Actu, & illimitata, & imparticipata, & Intrinſeca &c. Talem verò nec inſanus Catholicus Romano Pontifici unquam attribuit, ſed infallibilitatem vehementer limitatam & ad dogmata fidei reſtrictam, quando illa ex cathedra definit, ut loquuntur ſcholæ, quæq; ad mores, vel alia iudicata ſummi Pontificis ſe neutiquam extendat, in quibus & falli poteſt, & fallere, ut reliqui mortales omnes. Eſt etiam

purè participata, meréq; Extrinſeca infallibilitas, ex aſſiſtentia Spiritus Sancti toties promiſſa, Matth. 16. quod *portæ inferi non ſint prævalituræ* Item Ioan. 16. v. 13. Item 1. Tim. 3. v. 5. Talis autem infallibilitas, quam ſolam tribuimus Romano Pontifici, quæſo te, eſtne diuina, aut aſſimilis ulla ex parte diuinæ, qualem deſcripſimus, Infallibilitati? Eſt ergo hæc pſeudologia tua. N. III.

IV. Pſeudologia. Hanc excipit malè ordinato ordine quarta, quam exhibet ſecunda periodus, dicti §. Dann erſtlich. quâ pſeudologiâ dum priora tua dicta confirmare niteris, corrumpis.

Panormitanus, ais, Pontificius ſcriptor ita loquitur: *Papa poteſt omnia, quæ poteſt Deus.* Sed quo loco hæc habet Panormitanus, ſctiptor ſapientiſſimus, atq; doctiſſimus? Nullum citas, quia nullum habes. Sic enim uniuerſim atq; generatim nullus loquitur, niſi mente emotus, qualis Panormitanus non fuit, gemma ſiduſq; Canoniſtarum. Deinde quàm puerilis iſthæc illatio eſt? Panormitanus dicit. Ergo ita Catholici ſentiunt. Fac enim ita ſcripſiſſe Pannormitanum, fac ita ſenſiſſe, an ipſe Catholica Eccleſia eſt? Quid ergo firmitudinis habet iſthæc confirmatio tua ex dicto, ſi etiam verè à te afferretur, Doctoris unici? Eſt igitur hæc, quamdiu locum non affers, ex præſumptione violenta contra te, Pſeudologia. N. IV.

Pſeudol. V. Mox ſequitur, quæ eſt de doctiſſimo Thoma Bozio, de quo audes ſcribere, eum tribuiſſe Romano Pontifici eandem Poteſtatem, quâ præditus fuerit Chriſtus, faceréq; eum Regem Regum, & Dominum Dominantium ad inſtar Chriſti. rurſum quæro: quo loco hæc habet Bozius? Cur non citas, ſi vir bonus es, ut eo inſpecto an omnino hæc ſcripſerit Bozius, an hac verborum formulâ, hoc ſenſu tam uniuerſali ſcripſerit, iudicare valeamus? ſi enim omnem poteſtatem habet Romanus Pontifex, quam Chriſtus, ergo naturalis eſt totius mundi Dominus: & elementis imperare poteſt, & Libitinæ ac morti, & omnes morbos pellere &c. Quis ita inſanire cenſendus eſt? Dein rurſum licebit quærere: An Thomas Bozius Romano-Catholica Eccleſia eſt, ut eius ſententia noſtra omnium ſit? Sed nec Bozius ita ſenſit unquam, nec omnes Catholici. Eſto ergo hæc, dum locum afferas Bozii, pſeudologia. N. V.

Poſtquam miſimus indigitos ſiniſtræ manus ſiniſtras pſeudologias tuas quinque, Tremelli, cùm non ſufficiat hæc, addamus & dexteram tuis nugis ex unico paragrapho itidem implendam.

Pſeudol. VI. Sexta itaq; pſeudologia per figuram Rhetoricam nobis proponitur, id eſt, per anaphoram ſiue Repetitionem, ut ſit illuſtrior. Vltimam enim periodum, ſie eignen &c. ita auſpicaris, ut dicas iteratò, id eſt, fingas iteratò, nos Catholicos Diuinam infallibilitatem largiri Pontifici Romano. Eſto igitur per anaphoram itidem iſthæc tua pſeudologia. N. VI. quæ tamen iam ſupra n. 3. eſt refutata.

Sequi-

Sequitur ultima non tota periodus, fœcundiſſima omnium, quæ cum ſit teſſaracolon, ſiue quatuor membris conſtans oratio, totidem etiam gemmis pſeudologiarum eſt variegata.

Pſeudologia. VII. VIII. IX. X. Ais enim nos ſubiicere 1. ipſam ſacram ſcripturam Epiſcopo Romano. 2. Doctrinam omnium antiquorum Patrum. 3. omnium Thologorum. 4. omnium Hiſtoriarum, ut de illis pro lubitu ſtatuat, fidem abroget, vel addat, ſtabiliat falſa, vera infirmet. Hoc enim niſi verba tua ſonent, & hunc ſenſum efficiant, nihil contra Pontificem attuliſti. Ecce autem hic quatuor conferta mendacia (ut ſemel etiam latinè loquar) quæ Decadem abſoluunt. Nam ut ab ultimo ordiar, quis omnium hiſtoriarum fidem Romano antiſtiti ſubiecit unquam, ut nihil nobis Catholicis verum ſit ex iis, quæ Liuius, Salluſtius, Cæſar, Dio Caſſius, Tacitus; quæq; ex Chriſtianis Euſebius, Hieronymus, Proſper in Chronicis vel hiſtoriis ſuis, aliiq; ſcripto conſignarunt? quàm putida hæc, quàm & frigida calumnia eſt? Quis deinde & ſecundo loco Theologorum omnium conſenſum v. g. in numero ſeptem Sacramentorum, atbitrio ſubiugat antiſtitis Romani, ut ſi velit illum abolere continuò, & dogma aliud ſubſtituere queat? Sanctorum verò Patrum ſcripta, atq; ſententias, præſertim ubi conſenſu uno aliquid docent, quinam reuerentur magis, & ceu ditiſſimam hæreditatem amplectuntur, quàm Præſules Romani, qui ſcripturam nunquam aliter, niſi ſecundùm unanimem Sanctorum Patrum ſententiam & explicant ipſi, & iuramentum adeo ab omnibus iis exigunt, qui profeſſionem fidei Catholicæ emittunt, idem ſcilicet facturos ſe, & non aliter ſcripturas, niſi ſecundùm unanimem Patrum ſententiam interpretaturos? Ita enim habet Bulla Pii IV. Pontificis Maximi, in quam ſæpius tute Catholicus adhuc iuraſti, & meminiſti utiq; quæ iuraueris, in pleraq; illa modò periurus. Quod autem & illud aſſerere audes, nos ipſam quoq; ſcripturam ſacram, atq; adeo verbum DEI, Deumq; ipſum Romano Pontifici ſubdere, ut de eo agat, ſtatuatq; pro libidine ſua, quàm non neſcis te mentiri, Tremelli? Aut certè calamus tuus eſt lapſus, & cum Lutherum velles, certè poteras huius rei inſimulare, in Reuocatoria tua, Pontificem Romanum inſimulaſti. Is enim, is ille eſt, Lutherus, inquam, qui ſupremam ſibi Dictaturam in ſcripturam ſacram arrogauit impiè, addidit, demſit: omiſit, reiecit, quæ vel obſtare ſibi iudicabat, vel partes ſuas iuuare. Nec ob id reprehenſus reſpondit aliud, quàm tyrannicum illud.

Sic volo, ſic jubeo, Sit pro ratione voluntas,

Tom. 4. Witt. pag. 475. 6. Ille, ille eſt, qui ſpernit Concilia Patrum omnia, omneſq; eorundem Bibliothecas, quibus conferre eſt auſus aut etiam præferre Theologaſtri ſui Melanchtonis locos communnes (Cloacas dixiſſet rectiùs.) Ille idem eſt, qui riſit Teologos uniuerſos, etiam illos, ad quorum iudicia ante appellauerat, & ceu

ceu arbitros Iudiceſq; legerat, ut erant Louanienſes, Pariſienſes &c. Ille deniq; Hiſtoriis omnibus, cum luberet, abrogare fidem eſt auſus; quod vel ex hoc uno ipſius ſtultiſſimo dicto clarum poteſt fieri, cum agens de S. Petri Pontificatu Romano ita loquitur, ut eſt in Colloquiis menſalibus, in capite de Antichriſto: *Omnes historiæ teſtantur Petrum primum Romæ Epiſcopum fuiſſe. Sed meræ ſunt fabulæ.* Hæc Lutherus Anno 1530. utiq; bene potus ſuper menſam effutiit, aut veriùs euomuit, collegit verò velut ſacras has & ſe dignas reliquias Aurifaber, & in ſcripta miſit. Quid autem ſtolidiùs dici poterat, quid etiam ſcribi? Quid ſimile vel calumnia ipſa obiectare poſſit Pontificibus Romanis? Ecce Prædicamenta tua decem ſed noua, & inuiſa, paragrapho unico, & uno velut halitu, prô quàm fœtido, effuſa.

Quid verò nunc iudicas, Tremelli? An non extergere iam calamum mihi liceat, & I licet tibi dicere? An enim ſatis ſuperq; refutatus non eſt, cuius vel paragraphus unus in hunc modum eſt refutatus? Certè quæ addo, eâ ſolùm cauſsâ addo, ut abundantiùs largiúſq; tibi gratificer, & Lectoribus tuis. Age, perge. Poëſin tuam hyperbolicam examinemus amplius, poſt ad miſeram tuam Theologiam gradum faciamus.

§. III.

Index falſitatum & calumniarum, quas æger Tremellius contra vrbem Romam in unica pagina 25. vomit.

TRanſilio paginas aliquot, & à decima quinta ad vigeſimam quintam feror, non quòd intermediæ refutandum contineant nihil (cumulum enim continent, & ſuo loco refellentur) ſed quòd hæc pagina ſit feracior, & velut uter vento, ſed olido inflatus. Age, ventilemus.

Romam ergo allatras. Facis, quod omnes hucuſq; hæretici. Donatiſtis, ut alios ſileam, Cathedra peſtilentiæ Roma erat D. Auguſtino teſte, & irriſore; tibi ſentina eſt ſcelerum omnium, quæ tu hunc in modum enumeras, addiſq; impunita abire, & ſic planè regnare in illa vrbe.

I. Blaſphemias inauditas, ſummóq; ſtudio & ingenio excogitatas.
II. Cædes & Homicidia quotidiana, eáq; impunita.
III. Spectacula fœdiſſima Lupercorum & Lupercarum.
IV. Sodomiam etiam ſummis ibidem capitibus ſuetam atq; uſitatam. atq; hæc impunè.

Ecce iterum conferta quatuor patentiſſima mendacia. Nec enim mollire hic ſtylum queo in tam atrocibus calumniis tuis. Quæro ex te primùm, Tremelli. An vidiſti ipſe Romam, & oculis tuis hæc probra uſurpaſti? An legiſti ſolùm vel auditione accepiſti? ſi hæc conſpicatus es ipſe, interfuiſti igitur ſodomiticis commixtionibus? interfuiſti ludis Lupercalibus, & ſpectator aſſediſti? hoc honeſti non ſolent.

An

An verò audiſti tantùm? à quibus? viris bonis, an tui ſimilibus? Boni non mentiuntur; quod feciſſent tamen, ſi hæc, quæ ſcribis, de vrbe Roma enuntiaſſent. Tui ſimiles nihil moramur. Sed nec vidiſſe videris ipſe, nec à probatis hominibus audiſſe, ſed legiſſe potius. Apud quem, mi Tremelli? Apud Cornelium Agrippam de van. Scient. Hunc enim ſolum adſcribis in margine tuo. Quid facere poteras ſtolidiùs, quàm ut hunc & ſolum citares? Quis enim eſt iſte Agrippa? Hæreticus & doctiſſimorum virorum iudicio Magus Tales tu libros modò legis, miſer Tremelli, magicos? diabolicos? omnibus bonis deteſtatos! quos natura vetat legi, iura omnia prohibent. An non conuenit in te illud Iob. 6. v. 7. *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Certe Catholicus olim hos libros vel tangere horruiſſes, factus verò deſertor an hos nunc in deliciis habes, ita ut cibi tui & cupediæ ſint? Sed quam & tu, & teſtis hic inteſtabilis fallatis lectorem, nunc videamus.

Ais homicidia fieri in urbe quotidiana, eáq; impunita. Calumnia eſt. Qui Romæ plures annos commorati ſunt, ſanctè affirmant, tantam quoad hoc Romanorum Præſulum vigilantiam eſſe, ut intra anni unius ſpatium vix de duobus tribúsve homicidijs in vrbe factis inaudiatur, quæ & ipſa impunita neutiquam ſint, idq; de Innocentio X. potiſſimum, & hoc Alexandro VII. Pontifice verè Maximo, veriſſimè ſummáq; cum laude affirmari poſſe. O igitur te os impudens, Tremelli!

Ais ſecundò pervulgatum eſſe Romæ, maximè apud Magnos, Sodomiæ nec nominandum ſcelus, & quidem impunitum. huc enim tua tendit oratio. Iterum lectorem tuum mendacio (prô pudor!) conſputas. Nam nec pervulgatum eſt magis Romæ, quàm vel Stralſundæ, vel Roſtochii, vel Gripſwaldiæ in vicinia tua, vel ubiuis locorum, ubi homines improbi viuunt commixti probis, & in omnia ruunt ſcelera, ubi ſemel DEI timorem abiecerint: Ita verò non eſt impunitum in vrbe, ut noſtrâ memoriâ, Sixtinis temporibus, Romæ unus altérue tanti ſceleris conuictus pœnis tam horrendis ſit excarnificatus publicè, ut propè modus excedi videretur.

Sed audi, quod prouocatus ſcribo, non ſcripturus aliàs. Da mihi vrbem quamcumq;, cuius incolæ omnes ſodomitico ſint flagitio inquinati. Tum rurſus aliam mihi vrbem da, cuius inquilini omnes hæreſi formali, id eſt, perfectâ infecti ſint (qualis haud dubiè nulla datur. pleriq; enim Errantes potius, ut cum D. Auguſtino loquar, quàm veri hæretici ſunt.) Quæ putas deterior eſt? quæ diuino conſpectui deteſtabilior? Ego ultimam aio. Et mecum aſſerent omnes Theologiæ periti, valebítq; hic illud Luc. 10. 12. *Dico vobis, quia Sodomis in die illa remiſſius erit, quàm illi ciuitati.* Non eſt ergo, quod verus hæreticus, qualis modò miſer Tremellius eſt, vel ſodomiam, quæ magis apud ſuos impoſſibilitatem ſeruandi præcepta diuina cauſſatos forſitan graſſatur, vel alia ſcelera obiiciat orthodoxis; qui etiam

cum

eum tantis ſceleribus, ſi iis contingat pollui, innocentiores veris hæreticis ſunt. Et certè ſodomitis, mi Tremelli, niſi reſipiſcis, remſſiùs erit in die iudicii, quàm tibi.

Ais tertiò publica dari in vrbe, fœdiſſimáq; ſpectacula & ſcenas. ſi publica, in quo foro, vel theatro, vel campo, vel ſtabulo meritorio dantur? Dic, nomina. Vel rurſum te follem dicemus auræ fœtidæ. Quæſiui ex iis, qui Romam pluribus annis habitarunt, quorum habeo multos Auguſtæ, ubi dego & ſcribo hæc, an de tali probro unquam quidquam inaudierint? Negarunt conſtanter, & impudentiam tuam planè hæreticam (quæ impudentiarum omnium ſine dubitatione maxima eſt) ſunt demirati. Et verò tute tibi contradicis, dum hoc aſſeris. Nam pag. 22. hoc ipſemet elogium tribuis ſanctiſſimo Patri Noſtro Alexandro VII. Principem eum eſſe perinde doctum ac probum (ein gelehrter frommer Herr) Si probus eſt, non tolerabit hæc probra. ſi probus non eſt, Tremellius vel pſeudolus eſt, vel adulator turpis. utrum vis elige. Ecce feram rurſum caſſibus incluſam ſuis.

Ais quartò blaſphemias in vrbe regnare, ut vulgatas, ita minimè vulgares, ſed ingenioſè ſtudioſiſſimeq; excogitatas, idq; impunè. Blaſphemum audio non Romæ, ſed Stralſundæ exiſtentem, Tremellium; in hoc tamen Romanis, ut ipſe vult, diſſimilem, quòd hæ eius blaſphemiæ ingenium ſapiant nullum, ſed ruditatem & merum rus. Qui Romam ipſam aut menſibus, aut annis etiam multis incoluerunt, negant ſe blaſphemias aut tales, aut alias ullas ex ijs, quibuscum unquam commorati ſint, audiſſe. Neq; tamen ita excuſo Romam, ut credam nullis ibi blaſphemiis cœlum laceſſi, præſertim ab hominibus de plebe & ſorte infima; modò tu idem credas ſentiáſq; ſiue de Stralſunda modò tua, ſiue de aliis Lutheranorum tuorum urbibus viciſq;. Sed hoc pacto quid proficis, ſi tua nobis probra obiectes cum illo acutario retorquenda, quòd tota hæretici vita ſectáq; una & perpetua blaſphemia ſit.

Ecce fœtentibus calumniis tuis quatuor rurſum impleuimus digitos, quibus Romam, veterum recentiumq; hæreticorum more, fruſtra falſóq; conſpuiſti. De Roma, quam menſibus aliquot, diuino, ut perſuaſum habeo, conſilio incolui, illud habeo dicere, quod idem ex plurium aliorum in vrbe commoratorum ore accepi, me, aut potius nos quod grauiter animos noſtros offendere potuiſſet, vulgò diceres ſcandalizare, vidiſſe omninò nihil (ita Deum teſtor) cum è contrario viderim plurima & expertus ipſe fuerim, quæ Romam etiamnum ſanctam mihi affirmarent. Vidi enim viros eximiâ prorſus morum ſanctitate conſpicuos, & per vrbem totam celebres. Vidi opera miſericordiæ atq; charitatis aduerſus peregrinos, ægros, morientes tam præclara, tam multiplicia, ut toto Chriſtiano orbe ſimile nihil credam inueniri. Quæ autem in conſpectu Omnipotentis pretioſiora opera ſunt operibus charitatis & miſericordiæ, quæ ipſam peccatorum multitudinem operire noſcuntur?

§, IV.

Romanos Pontifices quam imprudenter, falſò, & inſcitè calumnietur Tremellius, à pag. 27. uſq; ad pag. 34.

SEd nec in iis, quæ verè de Roma affers, ullum ſapientiæ veſtigium eſt. Nectis funes, quibus nectaris ipſe.

Nam quòd inprimis de lupanaribus publicis Romæ toleratis obiicis, & vehementi ob id, caſtóq; zelo videri vis commoueri, vah! quàm ridiculum in Tremellio eſt? Rem miram, nouam, admirabilem! inquiebat non nemo, cùm tua legiſſet: Leno patrocinatur caſtitati. Leno lenocinia execratur. Ille cuius domus lupanar eſt, lupanaria omnia vult ſublata & diruta. Dirue tuum primùm, mi Tremelli, quod in Pomerania exſtruxiſti; tum fabriles machinas operáſq; Italicis lupanaribus admoue. Inhoneſta, fateor, lupanaria ſunt, quæ non Roma ſola, ſed & aliæ vaſtæ vrbes habent, non item fines, ob quos habent. Maiora ſcelera qui cauet, dum minora permittit, honeſtè operatur, quod vel ipſa nobis ſcriptura indicat. Caſtiſſimus Loth, ſi noſti, in hoſpites Angelos, quos Iuuenes credebant, ſodomiam parantibus exercere ciuibus ſuis offert filias cœlibes, ut cum iis fornicentur potius (quod id crimen eſſet & flagitium minus) quàm ut præpoſterâ libidine in ſexus eiuſdem homines maximo cum ſcelere utantur. Quod Lothi factum etſi ſint, qui minus probent, excuſant tamen in contrarium, ob rationem à me paulò ante allatam de minore malo, Doctores maximi, & hos inter S. Ambroſ. l. 1. de Abraham c. 6. Item S. Auguſt. l. contra mendacuim c. 9. Diuus verò Chryſoſtomus hom. 43. in Gen. etiam dilaudat magnificè zelum hunc Lothi, tetriorem Dei offenſam minori aliâ auertere hoc pacto cupientis. Nec alio animo hodiéq; magni atq; ſapientes Principes, & hos inter Antiſtes Romanus permittere cenſendi ſunt talia, quàm quo caſtus Loth, non utiq; luxuriæ fautor, ſed grauiorum flagitiorum impeditor. Sed ut ut ſit, & quæcumq; demum vincat de Lotho ſententia (quod hic ſtatuere meum non eſt) tu, Tremelli, de lupanaribus ſile, & caſtitatis patrocinium caſtis, hoc eſt, tui diſſimilibus relinque. Simul illud Evangelicum memori repone animo, ut ne feſtucam exaggeres, quando in Luthericarum vrbium ſubinde veſtrarum oculis Trabes, cubito tenus, exſtant. Mi Tremelli, in unica ſæpe Academia veſtrate multæ Romæ inſunt (ſapienti pauca) quod vel nuperum inclytæ Reip. Norimbergenſis 14. Sept. prioris anni editum laudatiſſimum, contra non laudatiſſimos Academicos, Decretum ſatis indicat, quo ſcandaloſiſſimus, impius, beſtialis, & omnino maledictus Pennaliſmus Academiæ cuiuſdam vetatur. Ita Decretum ipſum loquitur, cui nihil addendum exiſtimaui.

Iam quòd altero loco, Romæ non omnino ex falſo malos nonnullos, & criminibus inſignes Pontifices obiicis, rurſus parum ſapienter facis, non parum autem

inſcitè. Parum ſapienter in eo agis, quod ſic laudas Romam magnificè, quod nolles. Quot enim ex ducentis quadragenis Romanis Pontificibus affers malos, aut fingis malos? *Leonem X. Paulum III. Bonifacium VIII. Clementem V. Stephanum VI. Innocentium X* Sex nimirum ex tanto numero, qui ducentos quadraginta conficit. Et tamen ex his etiam ſenis non niſi unicum Stephanum VI. periti tibi hiſtorici concedunt, quem mali, quia ex iracundia furentis nomine, licet, inſignias. Nam Leonem X. quem tu primo loco inter improbos Pontifices collocas, Lutherus tuus ipſis Danielibus & Ezechielibus comparat Tom. 2. Wittemb. Lat. pag. 1. b. Tu ex Leone contra atheum facis. cui fidem adhibebimus potius? Citas pro conuitio tuo Adamum Conzen l. 1. Polit. c. 25. ubi nec verbum de Leone X. vel unum, ne dum de atheiſmo ipſius reperias. Ita triplicem irrogas iniuriam, narratiuncula unicâ. primam Leoni X. quem Lutherus ipſe tam ampliter commendat; alteram P. Adamo Conzen, cui calumniam impingis; tertiam tibi, dum falſarium te orbi prodis. Hoc quidem in limine offendere eſt, grauiterq; collidere & caput & famam. Similes Tremellii gemmas in Paulo III. ſimiles in Bonifacio VIII. non diſpares in Clemente V. reperias, ſcilicet inanes, maléq; fundatas calumnias. Innocentium X. qui inter malos Pontifices reponit, ſe in numero calumniantium longè veriùs collocat. Magnis Pontificibus par Innocentius graditur, cuius crimen nullum ex vero prodas. Stephanus ergo unus Tremellio ex enumeratis ab eo relinquitur, quem neq; Catholici nos probatis Pontificibus accenſemus. Laudas ergo, ô imprudens Tremelli, Romam, quam ſic reprehendis, ut ex ducentis quadragenis Præſulibus mitrâ Romanâ conſpicuis non niſi ſenos potueris inuenire, quos obiiceres Catholicis; qui tibi tamen quinos ex hoc ipſo numero detrahunt. Ceterùm fateris ipſe pag. 33. non defuiſſe Catholicis Pontifices ſanctos & probatos, quos inter etiam Hadrianum VI. & qui modò rerum potitur, ſanctiſſimum Patrem Noſtrum Alexandrum VII. reponis. Ergo Antichriſtos (vobis) tu canonizas, & in coelo collocas, quos ad orcum gregales tui detrudunt? Ecce nec laudes tuas Catholici recipimus, & vituperia ridemus. Et in hoc quidem imprudentiam tuam, in eo autem inſcitiam hiſtoricam ſatis prodidiſti, quòd his multò deteriores ex imperitia omiſeris, ipſis quoq; Catholicis deteſtatos. qui tamen re veriſſimâ ita ſunt pauci numero, ut decadem aut dodecadem non attingant. Fatebor tibi, Tremelli. Saliunt mihi venæ & fibræ micant, quoties mihi Romanorum Pontificum inde uſq; à S. Petro in mentem venit, quoties etiam de iis diſſerendi anſam hæreticorum ſiue libri, ſiue conciones mihi ſuppeditant. Tum enim ſupputo ſanctos Pontifices, ſecerno malos, in medium recipio medios. Et quid tum putas inuenire me? Sanè quod iuuat, plurimúmq; delectat. Inuenio enim è Romanis Præſulibus quartam minimùm partem Diuorum catalogo à plurimis ſeculis adſcriptam, & vel Marty-

 rum

rum laureis, vel oliuis Confeſſorum præfulgentem, quod Patriarchatui nulli, nulli Epiſcopatui, Principatui nulli, imò nulli hominum Chriſtianorum ordini aut ſtatui reperio conceſſum à Deo. O ſanctos Antichriſtos! Lutherus ipſe quadraginta ſex Romanæ ſedi Pontifices Martyres tribuit, & hinc colligere ſe non diffitetur, quàm ea Deo cordi ſemper curæq; præ aliis omnibus Eccleſiis fuerit Tom. 7. Witt. pag. 8. An non dolent hic oculi Tremelliis, ſedis tam ſanctæ deſertoribus? An non pudet pigetq;? Vtinam! ſed hæc uberiùs fortè alibi. Hoc loco iſthæc Tremellianæ tum inſcitiæ, tum imprudentiæ demonſtrandæ ſufficiant. adde, ſi placet, illud quoq; imperitiæ hiſtoricæ in Tremellio miſerabili argumentum plamarium, quod inter Hiſtoricos, qui vitas & probra Romanorum Pontificum ſcriptis ſuis conſignarint, etiam Iacobum Salianum homo imperitiſſimus reponat pag. 24. lin. ultima, cum conſtet ſolos veteris Teſtamenti Pontifices ad Chriſtum uſq; Salianum ſcriptis ſuis illuſtraſſe, de Romanis Pontificibus nec caput ſcripſiſſe unum. Ecce cum quanto mihi Idiota, ut loquimur, res eſt. Et prudens tamen multa præterea, quæ obelum præterea circa hanc ipſam materiam mererent, uti Docti per ſe obſeruabunt, ridebùntq;, illud peculiariter admirantes, eò uſq; in eruditione hiſtorica Tremellium proceſſiſſe, ut totam Turſellini Epitomen, quam perpetim citat, videatur à capite legiſſe ad calcem. O helluonem librorum Tremellium noſtrum, maximè Hiſtoricorum! Finio hunc § obſecratione illâ, ut; ſi ſuo Lutheriani conſultum velint honori, ſcomata in Romanos Pontifices vel ideo omittant, ne recipiant fœnus illætabile, non quinque per centum, ut loquimur, ſed centum per quinque à Catholicis. Exemplum fœnoris vel unicum hoc eſto. Aio & affirmo unum Lutherum ſeorſim ſceleratiorem ſine comparatione fuiſſe, quàm fuerint ſimul omnes Romani Pontifices, quotquot malorum nomen merentur. quod mihi tam erit probatu facile ac pronum, quàm vulpi pyrum comeſſe. Audete à me exigere probationem iſtam, ſi viri eſtis.

§. V.

Ieſuitarum Ordinem dum falsè vituperat & calumniatur, verè & eximiè laudat imprudens Tremellius.

POſt Romanos Pontifices, qui ſunt lancea in latere omnium hæreticorum, delabitur Apoſtata noſter ad Ieſuitas, qui ſunt ſpina in oculis, & per paginas omnino denas, à 39. uſq; ad 49. in laudes noſtras, magnâ pulcherrimi ingenii, quod ubiq; intermicat ſcilicet, ubertate excurrit.

Mi Tremelli, ſi calumniis ſterneretur Innocentiæ robuſtiſſima compago, dudum te nondum nato corruiſſemus. Poſt tot Encelados & Mimantes, qui ſupplantare ſui IESV præſidio nixam Societatem toto iam ſeculo fruſtra moliti ſunt, quid

tu

tu pumile audes, & riſum moues? Non viribus illos, non ingenii vi, non maledicendi proteruiâ (prope tamen iſtâ) ſed impietate ſolâ, velut alter Abſalom, tu anteis. Vt enim armatorum virorum equorumq; aduerſus Patrem exercitum Ille, conſultore uſus peſſimo, odio paterno, eduxit, ita tu exercitum planè educis mendaciorum & in phalangem conſtipas, ita tamen craſſorum, ut ſua ſe vix mole ferant, quin & ferri nec ab inimiciſſimis noſtris poſſe videantur.

Illud enim quale eſt, mi Tremelli, mi Abſalom, quòd de veneficiis, ſiue venenorum propinatione ream vis Societatem noſtram peragere, audaciſſiméq; mentiri audes, in hunc finem tot paſſim in Ieſuitarum Collegiis pharmacopolia, in mortes ſcilicet pretioſas, exſtrui, ut nimirum ſemper ſint in promptu pharmaca eiuſmodi, & Claudiani boli, quibus tollantur è medio, quotquot luminibus noſtris obſtruant, & conſilia impia morentur? Ita extinctum Mediolani Patrem Inchouer noſtrum, ita Romæ Clementem VIII. Pontificem Maximum. Nimirum criminibus nouis, inauditis, atrociſſimis infamanda erat, quàm ſibi pòſt tot alios impugnandam Tremellius ſumpſerat, Societas. Sed quem fucum mendaciis his tuis allinis, improbe? Nam fuco eſt opus. Ais pag. 40. nullo prægreſſo morbo, in ſella confidentem, inter confabulandum P. Inchouerũ ſubitò exſpiraſſe. Hæccine veneni dati indicia ſunt? An à morbo immunes ſunt, qui veneno ſunt poti, ac non potius immaniſſimis doloribus prius excruciati inter tormenta eiiciunt animam? An confabulari ex ſella libet, ſi præfocare cor iam venenum incipit? Sed quid hiſce immoror? Quid etiam diſputamus de fato ſenis iam propemodum capularis, quem vidi ipſemet, & in Vrbe allocutus ſum iam tum devexa ætate virum, inſuper aſſiduis ſtudiorum laboribus admodum exhauſtum? ſi ſenium, quo tanti moriuntur, toxicum eſt, dic ſanè veneno virum hunc doctiſſimum extinctum fuiſſe. Quod autem Neronis exemplum impio nobis ioco obiicis, Senecam perfidioſè enecantis, illud tibi, Tremelli, ſerua ut proprium. Iugulauit Matrem Nero. Quid faciat aliud Tremellius, ſi queat? Non eſt etiam, quod Iulium Scotum fabulæ tuæ auctorem facias, aut in aliis quoq; eum contra nos teſtem producas. Nemo cordatus recipit inimici teſtimonium. Poſſem aliter quoq; loqui; ſed parco.

At Clementem VIII. Pontificem Max. reformare, ut tu ais, nos molientem veneno ſuſtulimus. Si calamum ſuxiſſet Tremellii, Maximus hic Pontifex, venenum utiq; nocentiſſimum ſuxiſſet. Non enim tu calamo, ſed cicutæ culmo, non atramento, ſed veneno planè iſta de veneno tanto Pontifici à nobis propinato ſcripſiſti, quo ſcorpionis inſtar turges, imò draconis. Dirum planè venenum hæreſis, & omni Dircæo nocentius. Nam quo tu teſte iſta tam atrocia, incredibiliáq;? quibus tabulis? aut certè quâ famâ ex antiquo hauſta? An & hoſtes noſtri infeſtiſſimi id aliquando prodiderunt? Tremellius inuentus eſt ſolus, qui perfricare effrontem frontem dicereq; auderet, quod auderent nec Turcæ, neq; hucuſq; etiam inimiciſſimi

nomini noſtro auſi eſſent. Viciſti, Tremelli. cane victoriam. viciſti quotquot ante te ſcripſere in nos, impudentiâ, poſtquam à libidine prior ipſe es victus. Non confutare hanc calumniam tuam ab amicis iuſſus ſum, quod eſſes indignus, ridere tamen ſum permiſſus. Si Romæ facinus tam immane auſi ſumus, cur adhuc Romam incolimus? cur ſupplicii nihil tam nocentibus eſt irrogatum? cur venenum hoc ſagaciſſima Roma odorari non potuit; Rhinoceros, an canis? Stralſundicus potuit? Cur etiam hiſtoricorum neq; Catholicorum, neq; heterodoxorum ullus facti tam tragici meminit? Denique ſi pharmacopolia Ieſuitica tollendis è medio Pontificibus Romanis pharmaca tam præſentia pyxidulis ſuis condita ſeruant, quî id poſteriores Pontifices, rerum aliàs, quæ in vrbe geruntur, omniũ gnari potuerunt ignorare? Cur Vrbanus VIII. & Innocentius X. medicinas corporibus ſuis curandis, ſalutis ſcilicet ſuæ ex toto incurioſi, non infrequenter poſt deſignatum à nobis tale facinus, ex Dircæo hoc pharmacopolio noſtro Romæ petere ſunt dignati? cur aboleri illud, quod Admodum Reuerendus Præpoſitus noſter Generalis facere cogitauerat, vetuerunt? An ut idem ipſis, quod Clementi VIII. & ſcientibus quidem ac quærentibus fatum obtingeret? Non officinæ Ieſuitarum, ſed deſertoris Tremellii pectus atq; animus veneno redundant, quo ſe miſer ipſe intoxicat, veneficus in ſe & animam ſuam; quam ſic, teſte ſcriptura ipſa, occidit. Audi enim, quid illa de te, deq; morbo tuo. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Sap. 1. En venenum animæ certius, quàm Medeæ omnes miſcere queant. Et Prouerb. 19. *Qui loquitur mendacia peribit.* Item alibi pſ. 5. *Perdes omnes, qui loquntur mendacium.* Tu verò ô Felix, ô Beata Societas IESV, quæ aliter oppugnari non potes, non ſoles, quàm ita ſtolidè fatuéq; confictis ſceleribus, ut neq; hoſtes tui credant ex vero afferi. O chara mihi, magiſq; quotidie pretioſa Societas, quia illo Domini dicto quotidie beatior:

Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduerſum vos MENTIENTES *propter* ME.

De veneno Ieſuitarum ſatis. Ab hoc, ad eorundem doctrinas facit gradum Tremellius; quas eſſe garrit impias, nec probat pag. 41. ſi verò enuntianda tantùm ſcelera de aliis ſunt, non probanda, dicam te, Tremelli, furem, dicam veneficum, & adulterum, & latronem, & aliud quiduis. Sed an rectè? an ordine? an ex legum rationiſq; præſcripto? De Coſtero quod affers, viro ſanctiſſimo pag. 42. apertiſſimum fœtidiſſimúmq; mendacium eſt, quod non neſciebas. Nec enim matrimonium Coſterus fornicationi poſthabet, ſed ſacrilegum per conculcata vota concubinatum, qualis tuus eſt, qualis aui tui Lutheri fuit, in quo omnes ei Theologi, & ſapientes omnes ſubſcribunt.

Poſt-

Poſthæc Caramuelem Epiſcopum doctiſſimum neſcio cur Ieſuitis miſceas. An ob familiaritatem doctrinæque ſimilitudinem, quam ſuſpicimus? Hunc tu eâdem paginâ quadrageſimâ ſecundâ ſugillas, quaſi nouum in aſtra pontem conſtruat. Non habet vir doctiſſimus meâ defenſione opus; aude tute congredi illi, eiuſque lacertos experire.

Quæ verò de Ioanne Beneuentano Archiepiſcopo, itemq; altero S. Franciſci Paduano alumno, nullo rurſus ordine ſeruato, & deſiliendo leuiculè iterum à Ieſuitis ad Archiepiſcopos, & PP. Franciſcanos, ſine auctore præterea úllo, ſine anno & conſule, ſine libri & capitis indicatione, atque adeo planè ſine capite refers, obſecro te quomodo perſuadere vis cordato ulli, ut credat id de ſodomia & ſimplici fornicatione traditum in ſcholis fuiſſe ab iis, quod tu pag. eâdem refers? An vis nos Pythagorico illo elogio contentos eſſe: Tremellius dixit: Apoſtata affirmat? Multum tibi tribuis, Tremelli, in quo tibi iniuriam facis.

Ab his rurſum ad Ieſuitas, velut deſultorius & arundineus eques, te refers paginâ quadrageſimâ tertiâ, cùm prius Machiavelliſmi Catholicorum pleroſque, hæreticâ impudentiâ, nudáque aſſertione inſimulaſſes. (nec refuto aliter) De Ieſuitis autem illud dicto loco commemoras, litteras Præpoſiti Generalis ad eos crebriùs perferri, quibus admoneantur à ſecularibus abſtinere negotiis. Quid in hoc non laude dignum? An non & Apoſtolicæ Pauli litteræ 2. ad Tim. 2. hoc ipſum monent & Timotheum diſcipulum, & in Timotheo Epiſcopos uniuerſos? *Nemo militans DEO implicat ſe negotiis ſecularibus.* An & hic inueniet Momus noſter, in quo vel Paulum vel Timotheum reprehendat?

Deinceps ad Archiuum Societatis noſtræ Romanum; indeque ad Aſſiſtentium noſtrorum, (hoc nomine appellamus eos, qui Generalem noſtrum conſiliis iuuant) ipſiuſque Præpoſiti Generalis Muſæa, armariáque velut alato remigio ſe tranſmouet Dædalus, aut potius Icarus infelix, Tremellius, & optat arcana illa, mundo admirationi futura pateſcere. Mi Tremelli. Idem & meum votum eſt, noſtrúmque omnium. Utinam pateant! ſimul enim & mendacia Tremelliana paterent. Quæ audaciſſimè addis de violatione ſigilli Confeſſionis, omniúmque ſecretorum, ſi uſus publici poſtulet, nec Syllabâ tamen unicâ, exemplóue probas, non viri honeſti dicta, ſed impoſtoris Stralſundani (cogit immanis calumnia ita loqui) fœda mendacia & commenta ſunt, nullâ refutatione aliâ indigentia.

Pergis calumniari pag. 44. dum Ieſuitas negas eſſe Religioſos niſi perſonatos, aulicos (Hoffgeiſtlich) eorumque familiares, qui in aulis cum ipſis agant, perſonatos Catholicos (Hoffcatholiſch) In exemplum proponis P. Guilielmum Laimermanni, glorioſiſſimæ mem. Ferdinandi II. Confeſſarium. Non poteras loqui ſtolidiùs, quàm ut Ferdinandi II. Aulam in exemplum proponeres aulæ atheiſticæ (hoc enim ſunt der Hoffcatholiſche) Patrem verò Guilielmum in argumentum & ſpecimen

 per-

perſonati Religioſi. Orbis Chriſtianus Ferdinandi II. aulam, velut Religioſiſſimi ſiue Conſtantini, ſiue Theodoſii aulam ſuſpexit adhuc, ac deinceps ſuſpiciet, ipſúmque Ferdinandum ſanctis Imperatoribus ex vero accenſuit. Apoſtata verò noſter, iſque ſolus, eam aulam Herodis facit. Quantæ Laimermannus virtutis fuerit, ex Auguſtiſſimo hoc eius ſpirituali filio Ferdinando II. enituit, itémque ex Ferdinando III. glorioſiſſimæ item mem. Cæſare. mihi verò qui hæc ſcribo, ô ſi theſauri maximi loco obueniat hæreditas ampla virtutum religioſiſſimi P. Guilielmi Laimermanni, ſtudium orandi admirabile, & perpetua cum Deo coniunctio, quàm non perſonatus, ſed veriſſimi nominis Religioſus forem! Quid agis imprudentiſſime Apoſtata? Dum Ieſuitas vis, Cæſares feris, eorumque aulas intolerandis conuitiis laceras. Redi Viennam, & proemium laboris cape. De P. Laimermanni ultimo vaticinio quæ tradis pag. 45. pro veritate Tremelliana, Lector, accipe.

Progrederis & paginâ quidem 45. P. Fauſtum, pagina verò 48. Hieronymum Gladichzium olim Ieſuitas nobis obiicis, ut, quemadmodum credis, confundas, & in ruborem des Ieſuitarum gentem, quæ tam infelicia germina proferat. Quid verò perfregit, te teſte inteſtabili, P. Fauſtus? Politicis ſe negotiis apud ducem Piccolomineum miſcuit amplius, inquis, quàm Religioſo decorum erat. Quid Hieronymus flagitii deſignauit? Illudi ſe à veteratore dæmone paſſus eſt, & ipſe aliis illuſit, proque mago in ducatu Bauariæ ab una veneficarum tertiùm eſt denuntiatus. Non eſt, quod obiicias aliud, egentiſſime & famelice Tremelli? Ecce quid agas imprudens. Dum ſic vituperas, laudas. Fateris utrumque ab Societate dimiſſum, réſque ſibi ſuas habere iuſſum, Sic commendas Societatem. Idem enim facis illi, qui formoſo, florenti, & Symmetrico Corpori obiiciat ſaniem, quam per fonticulos cauteriatos exſudet, aut qui reprehendat Oceanum quod putre eſt corporum eiectantem. Ne idem tibi ob flagitia tua contingeret, præueniſti ſcilicet & fugiſti, non Religionis melioris, ſed flagitioſæ libertatis amore. *Nemo enim à Religione, & fide noſtra deficit, ut viuat ſanctius, ſed ut peccet liberius.* Tu verò quomodo de Gladichzio Magiam probas? Una, inquis, veneficarum in Bauaria ter ipſum ceu magum denuntiauit. Ubi locorum in Bauaria? quo anno? quo teſte? Niſi nominas, impoſtor es. Si etiam nominas, imò ſi publicis quoque probas tabulis, nihil tamen agis aut probas. Una veneficarum ter denuntiauit. Ergo magus eſt. O te ieiunum calumniatorem. Si non una, ſed decem denuntiaſſent; ſi non ter, ſed tricies; an tu eum continuò magum pronuntiabis? Quantos integerrimos viros feminásque diabolicum hoc hominum genus falſò, idque iam ex more denuntiat? Si te una ſtrigum Stralſundicarum bis etiam térue quæſtionibus ſuppoſita magum proclamaret, an continuò magus fores? An æquo animo ferres te talem typo vulgari? Vide, quàm nón maleuolus ſolùm, ſed & inſipiens ſis, Tremelli. Quæ alia de Gladichzio memoras, tunc credam, ſi ex honeſtioribus viris, quàm tu ſis, intelligam.

Sed

Sed illudi ſe à dæmone paſſus eſt, & ob id aliis quoque illuſit Gladichzius muta nomen, & de te ipſo fabulam narra. Illudi, prô dolor, grauiuſque multò illudi ſe paſſus eſt à deteriore quidem dæmone miſer Tremellius, dum primam fidem Deo negauit, & nunc aliud non agit, quàm ut illudat ipſe etiam aliis.

Effundis denique generatim & in ſumma, ut tute loqueris, omnem hæretici fellis non iam folliculum, ſed plane follem in Societatem noſtram, mulus ingratus pagina 46. §. in Summa / n.

Et primum quidem obiicere audes magnifica ædificia ſociorum, interulas pretioſiſſimas, ſimiles Medicinas, tum hortos Alcinoi, Apicii cœnas, Gynæceorum viſitationes crebriores, ſed præcipuè decantatam illam, à tui ſcilicet ſimilibus, Ieſuitarum auaritiam, opumque ingluuiem per urſuras pluſqam iudaicas cambiorum, per mercimonia varia, per obſidiones tribunalium, Seminaria & Conuictus, unde reditus nobis ingentes obueniant. Multa mentiris paragrapho unico. Iam ſcilicet ruborem exuiſti, & quando cœpiſti, Tullio hortante, es egregiè impudens. Magnum, fateor, prouentum habemus ex Conuictibus noſtris, ſed moleſtiarum, & gratuitorum odiorum; quos etiam in ſolam Principum Fundatorum gratiam retinemus. Lites habemus in curiis, quia nemo ſe ſpoliari ſuis æquo animo fert. Libros ſcribimus, & quandoque corrogato ſumptu ipſi curamus imprimi diſtrahique, quando ad rem nimis attenti Bibliopolæ, qui certiſſimis & ampliſſimis ſolùm lucris inhiant, ſumptibus ſuis recuſant imprimere, exiguâ publicæ rei, boniue curâ, quod nos Catholici lamentamur. In ipſa tamen diſtractione librorum eiuſmodi nulla pecuniarum, ſed animarum quærimus lucra. Alia mercimonia in Societate noui nulla. Medicinas, ſi quas ex pharmacopoliis noſtris bono Collegiorum excitatis expetunt amici, non negamus. Quod nobilium piarumq; feminarum viſitationes in deterius interpretaris, facis tu, quod olim ante tot ſecula S. Hieronymi, viri caſtiſſimi, oſores & calumniatores tui ſimiles fecerunt, nullo viri ſancti, ſed ſuo damno. De cambiis earumque uſuris mentiris impudentiſſimè, & ſolens. Sed nec hortos Alcinoi vidi hucuſque, nec Apicii cœnas. In veſtibus videris te ipſum deſcripſiſſe, cùm togatus adhuc in caſtris Cæſareanis ageres, & mollibus utique veſtireris, mox ad ſectam molliſſimam deſciturus. Si te deſcripſiſti, oro Deum, ut nullum poſthac tui ſimilem ſiue Ordo noſter, ſiue alius quicumque progerminet. Voto annuat Deus.

Illa quoque inſignis calumnia eſt, cum ait Tremellius, Prouerbio iam paſſim iactari: Si ſcelus deſignandum ſit, id aut Monachi, aut Iudæi, aut Ieſuitæ operâ deſignari commodiſſimè poſſe. At, mi Tremelli, Prouerbii huius tu primus es auctor. An Salamon es, qui prouerbia ſcribas? Es enim verè Salomon, & Salomon miſerandus in aliis. In hoc Salomon non es, non eris.

His tam impudenter effuſis gradum facit ad nocturna non tam ſociorum, quàm Catholicorum omnium exercitia pietatis, calumniator impudens de præteri-

tis, vates ridiculus de futuris. Sugillat Catholicum *Rorate*, ut appellamus, per Aduentum ſummo mane per brumales tenebras celebrari ſolitum. Quid hoc ad Societatem noſtram? An non mos Eccleſiæ antiquiſſimus, & ipſa Societate anterior eſt? Reprehendit exin ſupplicationes nocturnas, nec ipſas uni Societati proprias, illas utique, quæ die Veneris ſancto per plateas ducuntur: ſed potiſſimum inuehitur in Congregationem quandam, Vienenſem opinor, quæ ab agone Chriſti Domini appellationem habet, nocte conuenire ſolitam, quam opus diabolicum, ore ſcilicet diabolico, appellat; in quam multa, ut ipſi videtur, ſalſè; reipſa verò inſulſiſſimè & inficetiſſimè deblaterat. Iterum patrocinium caſtitatis ſuſcipit leno: Veretur ne per noctem ſacrilegia committantur ſacrilegus. Monet, hortatur, vaticinatur, obteſtatur, ut omnia gerantur cautè caſtéque, homo inautiſſimus, & luxuriâ infamis, qui cum caſtas nollet agere noctes apud Catholicos, cum ſcorto Stralſundam profugit. Caſtis relinque. & verè cautis, curam hanc, Tremelli, Epiſcopis, Nuntiis Apoſtolicis, Imperatoribus ipſis, qui dormiente tecum concubina tua, atque ſtertente pro Vienna ſua vigilabunt. An tu fortè, Catholicus adhuc, noctis beneficio ad inconceſſa improbè es abuſus, tuóque nunc pede metiris alios? Si verò nocturni Chriſtianorum conuentus improbabiles omnino & deteſtabiles ſunt, ut tu garris, cur primi Chriſtiani totas unà noctes, viri feminæque in precibus toties, imò quotidie, & caſtiſſimè peruigilarunt? Unde nomen illud fluxit: *Nocturnum primum*? Unde *ſecundum Nocturnum*? Unde *Tertium*? Unde *Vigiliæ*? Unde *Matutinum*? quarum omnium pietatum nihil omnino apud vos Lutheranos reliqui eſt. Reprehenditis autem hæc talia non aliâ cauſſâ, quàm quia ſectæ addicti molliſſimæ, & ob hoc ſolùm propagatæ, non vultis, quidquid riget, imitari.

Sed nihil facis impudentiùs, quàm quòd Sectæ Fraterculorum mentionem infers paginâ 47. & cum ea Societatem noſtram ridiculè componis. Profectò hic cœdendum vel maximè tergum ipſe & ſcapulam nudas. Cur Maiores tuos, & Lutheranorum tuorum, Fraterculos inquam, ſiue fraticellos, vobis meritò chariſſimos, & planè Fraticellos veſtros tam tractas contumelioſè in tuam potius, tuorúmque, quàm noſtram Catholicorum contumeliam? En indiculum communium errorum.

Communes Errores Fraticellorum, veterum hæreticorum, & Lutheranorum recentium.

I. C*Onceptus proprios Patrum definitionibus antepoſuerunt.* Ita loquitur in Extrauagante ſua, *Sancta Romana*, Ioannes XXII. An non idem hoc faciunt Lutherani, qui tum ſuos, tum Lutheri ſui unius conceptus, ſiue malè cogitata omnibus Patrum omnium placitis anteponunt.

II. Ecc-

II. Eccleſiaſtica Sacramenta deſpexerunt, teſte eodem Pontifice. Nihil in hoc abludunt Lutherani, qui ex ſeptem ab omni antiquitate receptis Sacramentis, quinque omnino impiè, & paulatim abiecerunt, & nunc baptiſmum ipſum cum Caluini aſſeclis docere audent alicubi infantibus neceſſarium non eſſe; quod alibi latiùs oſtendi.

III. Iidem Fraticelli aſſeruerunt viſionem animarum ſanctarum differri uſq; in nouiſſimum diem, contra expreſſa ſacræ paginæ verba. An non idem aſſeruit infelix Lutherus veſter, ut inuocationem ſanctorum tolleret, Tom. 10. & 11. Witt. in explanatione capitis 25. & 49. Geneſeos, idemque aſſerunt hodierni Lutherani hagiomachi?

IV. Summis Pontificibus Romanis ex profeſſo aduerſati ſunt Fraticelli, eorumq; ſe poteſtati ſubtraxerunt. Quid ſtudioſius agunt, pertinaciúſque Lutherani?

Ceſſa igitur, ceſſa, imprudens Tremelli, Maiores tuos conuitiis proſcindere, ne tuammet execrari ſectam videaris; Ceſſa nouorum Fraticellorum, qui uos eſtis, excidium flagitare, ne excidium Lutheraniſmi urgere videaris, peſſimus cauſſæ ipſorum Patronus.

Quid contra Fratricellis ſimile, quid affine Ieſuitæ habent? An viduas, Matronas, virgines ad nocturna ſacra pelliciunt, ut corrumpant, quod de Fraticellis Turſellinus commemorat, túque in Ieſuitas torques? Quis credet mentienti tam apertè, tam ſtolide? Et qui poſſent hoc nefas deſignare, ſi vel Cynici eſſent, tantâ hominum multitudine præſente & ſpectante? In ſpeluncas ſe Fraticelli ipſi, etſi impudentiſſimi erant, & tenebras abdiderunt, hiſtoricis teſtibus, ut nefariis ſacris ſuis, extinctis luminibus, operarentur. Tu hæc Ieſuitis imputare eadem audes ſceleſtum os, imò vel ſuſpicionem mouere, quorum caſtitas diuino munere, eóque maximo, ceu roſarum candentium ſuaueolens odor te fœtentem ſcarabæum fugauit. Habes Fraticellos, planè fratres tuos, hircos, quibus cum ab ſiniſtra parte olim iudicabere, niſi pœnitentiâ iudicium præuenis, quod facere ſuaderis.

§. VI.

Quomodo in Catholicos Theologos, ipſe non Theologus debacchetur Tremellius. à pag. 34. uſque ad pag. 43.

Discordiam obiicis, veſtrum crimen. In exemplum affers Ianſeniſtas è Gallia atque Belgio reliquis Theologis Catholicis non concordes? An Catholici Theologi ſunt Ianſeniſtæ iſti, ſi Ianſeniſtæ eſſe pergant? Si verò durante pertinaciâ, quam auertat Deus, pro Catholicis non agnoſcuntur, cur tu eos nobis obiectas? Deinde nihil afferre poteras, quod pro nobis contra te tuóſque magis faceret, excæ-

cate Tremelli, quàm hoc Ianſeniſtarum exemplum. Sic enim concordiæ noſtræ laudatiſſimum fundamentum ob oculos orbi ponis. Age enim & auſculta. Ianſeniſtæ à Catholica Doctrina exorbitare cœperunt, & diſcordiam, ut tute ais, inuehere. Sed mox ſemina diſcordiæ huius radicitus euulſa ſunt in hunc modum, qui perpetuus Catholicorum eſt. Res coram Iudice ſummo, eóque non muto, qualem vos ſtatuitis, ſed & vocali & eloquente, Pontifice maximo acta eſt. Accuſati Ianſeniſtæ, ut diſcordes Catholicis reliquis, & quoad certas doctrinas condemnati. Acquieſcunt huic Pontificiæ ſententiæ, qui boni ſunt. Qui ſecus faxint, Catholicorum in numero non cenſentur, unde nec Catholicis obiectari queunt. Ecce ſic perennat, & re quidem neceſſariâ, concordia Doctorum Catholicorum, quia Iudicem, qualem diximus, habent, diſtinctè & clarè pronuntiantem ſententiam, ſi diſcordia incidat, & quod potiſſimum eſt, ex promiſſa Spiritus Sancti aſſiſtentia, rumparis licet cum tuis, infallibilem. Ita in dogmatibus, id eſt, ſubſtantialibus fidei Chriſtianæ placitis, aduigilante hoc Paſtore Iudicéque ſupremo, diſcordia locum non inuenit, nec poteſt. Ita in confuſionem non noſtram, ſed tuam tuorúmque Ianſeniſtas attuliſti, dum perpetuæ concordiæ noſtræ fundamentum, quo vos caretis, velut ob oculos poſuiſti. Nam quæ de ſcientia media, quæ de immaculata Magnæ Virginis Conceptione; de definitione alia atque alia Sacramenti; de conuerſione vini in aquam vel aſſerta, vel negata; de abſolutione moribundi ſub conditione &c. Catholicis pag. 37. & ſeqq. obiicis, probaréque vis hoc pacto diſcordiam Catholicorum in dogmatibus fidei, ô quàm puerilia ſunt, quàm ieiuna, protritáque, quámque Theologo, ſi unquam talis fuiſti, & refutatione ipsâ indigna! In his enim omnibus illud Pauli Apoſtoli (an & hunc carpet Momus?) valere aut non neſcis ipſe, aut ignorantiſſimus es: *Quilibet in ſuo ſenſu abundet.* Ad Rom. 14. 5. Neque tamen hæc ipſa quantumuis friuola tu ſine mendaciis (pudet loqui, quod te facere non pudet.) potes commemorare, infelix Tremelli, poſtquam ſcilicet iis te adiunxiſti, *qui ponunt mendacium ſpem ſuam*, Iſa. 5. Nam neque Ianſeniſtas ex inuidia Ieſuitæ nos oppugnauimus, aut accuſauimus, quæ tua calumnia eſt pag. 35. neque PP. Dominicani nos ceu Pelagianos, neque nos illos ut Caluinianos damnamus, ut tu fingis. Excidunt per calorem diſputationis ſubinde dicta huiuſmodi: hæc ſententia Pelagianiſmum ſapit, hæc Caluiniſmum: quæ exercitationis gratiâ, non calumniandi animo dicuntur. addis Tomum Suarezii de gratia, in fraudem legis & prohibitionis Pontificiæ à PP. Carmelitis inſtigatione & procuratione Ieſuitarum editum fuiſſe; ſed qui id probas? Affirmas inſuper omnem de dogmatibus fidei doctrinam humano ſolùm apud Catholicos Doctores ingenio niti. Iterum ſciens fallis, quod mox §. ultimo patebit. Totam de Iuſtificatione doctrinam ais philoſophicam eſſe. Iterum Cretizas. Humanis & philoſophicis exemplis illuſtrant doctrinas eiuſmodi Catholici, non fundant, fundant verò in

ſcrip-

ſcripturis ſacris, & Generalium atque approbatorum Conciliorum Canonibus, quos ſcripturis ipſis (obganniatis licet heterodoxi vos) rectiſſimé æquiparamus, ſcripturâ ipsâ hunc Catholicorum ſenſum luculentè confirmante Actor. 15. v. 28. Quæ de utraque ſpecie pag. 39, commemoras, itidem fraudulenter commemoras. Non poſt Pontificum Decreta, ſed Apoſtolorum, & ab initio Eccleſiæ liberè Chriſtiani vel utraque ſpecie vel unicâ ſemper ſunt uſi, id quod ſequuntur & ſpectant decreta Pontificum, quod quidem vobis millies eſt demonſtratum. quæ tu verò de barbis ruſticorum & myſtacibus affers, iis riſum ſolùm moues ex compoſito, quod paraſitaſtri eſt, nihil autem probas, quod Theologi foret.

Ceterum mirari ſatis non poſſum, quoties à Lutheranis obiectari nobis diſcordiam in dogmatibus fidei vel audio vel lego. Nec feſtuca quoad hoc eſt in oculis Catholicorum (quæ DEI eſt gratia) quam extrahatis, & trabs eſt in oculis veſtris, (ein Dremel NB.) quam vix biiugi extrahant. Vos, vos inuicem ob notas in grauiſſimis fidei articulis diſcordias hæreticorum nomine palam in concionibus & libris voſmet mutuò cohoneſtatis, Calixtini Hûlſemannicos, & hi illos &c. Nulla apud vos vrbs eſt alteri in dogmatibus ex toto concors atque congruens, imò vix familia, quæ paulò pluribus capitibus conſtet. Nec fieri omnino aliter poteſt apud acephalos, quales vos eſtis, ſi præſertim arrogantia nulli ceſſura acceſſerit, & illud Lutheri veſtri Symbolum præclarum, miſerandorum ſcilicet, hæreticorum proprium.

CEDO NVLLI.

Certè non aliam ſæpius reſipiſcentiæ ſuæ cauſſam Neophyti noſtri afferunt, cum deſerto Luthero Catholicam amplectuntur, quàm pudendam diſcordiam veſtram, ii præſertim, qui cum Ithacenſi Heroë multorum mores viderunt & vrbes. Nolite ergo maculam veſtram aliis velle allinere, ſed ipſi potius eam bono veſtro æterno expurgate, & unitatem fidei unâ cum vera ſanctitate apud unam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam, quæ ſola noſtra eſt, quærite.

§. VII.

Miſerabilis Tremellij Theologia (qua probare nititur fallibilem infallibilitatem doctrinæ Catholicæ) poſt examinatam eius Poëticam Dialecticam, & Hiſtoricam ſcientiam excutitur.

INcipis id probare velle pag. 15. §. Dieſes erweiſet. & argumenti quidem tui ſummam ita proponis.

Papiſtica Eccleſia infallibilitatem ſuam probat non ex verbis ſcripturæ (iam incipit Theologus poëtari.) *Sed primùm quidem ex Philoſophico Syllogiſmo.* (poëtatur iterum Theologus noſter) *Deinde ex Traditionibus* (Iterum, ac tertiùm.) *Tertiò*

ex

ex Doctoribus Eccleſiæ (addit verò in contextu, *ex Conciliis quoque Eccleſiæ*) hæc prima Tremellii veritas eſt. *Quartò ex Theologis ſuis. Quintò ex Hiſtoria Eccleſiaſtica; quæ omnia fallibilia & erroribus obnoxia ſunt*, ſi diis placet. Hucuſque Tremellius. ℞. Quomodo Catholica Eccleſia noſtra probet infallibilitatem dogmatum ſuorum, poſtea breuiter, ſed exactè ſpectabimus. Nunc tuas inſcitias Theologicas figmentis poëticis ubique permixtas, bona veniâ tuâ (*quoniam rogaſti nos*) examinemus, & ſi poſſumus, numeremus.

Ais primò infallibilitatem doctrinæ noſtræ nos ex nullis ſcripturæ verbis demonſtrare. falſum dicis, ut patebit poſtea, cum ſcripturarum tibi affatim admetiemur.

Ais 2. Primam atque primariam probationem noſtram niti Philoſophico ſolùm Syllogiſmo, quem facis primum Catholicorum argumentum, & formas eundem in Catholicorum perſona pag. 16. hunc in modum.

> Quilibet legitimus Petri Succeſſor eſt verum caput Eccleſiæ, iuxta illud Chriſti : *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram &c.*
>
> Alexander ſeptimus eſt legitimus Succeſſor Petri.
>
> Ergo eſt verum Caput Eccleſiæ.

Nunc excutiamus. Tu hunc Syllogiſmum Philoſophicum vocas, Tremelli? Tam ergo ſubitò rudis ex toto atque indoctus effectus es, poſtquam diſceſſiſti à nobis, ut inter Philoſophicum & Theologicum Syllogiſmum diſtinguere iam nequeas, cùm non differant minus, quàm aſtra & terra à ſe inuicem diſcriminantur?

Ponis ipſemet, aut certè pateris poni à nobis Maiorem, ut vocamus, propoſitionem ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus* &c. quæ utique eſt reuelata. Huic reuelatæ ſuperſtruis duas reliquas, quarum altera, Minor ſcilicet, eſt non reuelata (*Alexander VII. eſt legitimus Succeſſor Petri.*) An hic Philoſophicus eſt Syllogiſmus, Tremelli, ut tu aſſeris, in cuius Antecedente una reuelata ineſt cum alia non reuelata propoſitione, uti hic tuamet confeſſione ineſt? Heus ad piſtrinum cum Theologaſtro hoc. Nam ſi neſciſti hæc, indoctiſſimus es; Si diſſimulaſti, malitioſiſſimus.

Quòd autem ex Logica tantum meminiſti adhuc, ſcilicet Concluſionem ſequi partem debiliorem antecedentis, quæ quidem pars debilior in Syllogiſmo Theologico eſt propoſitio non reuelata (quod non diffitemur) indéque infers concluſionem Theologicam, quâ nos nitamur, ſequi naturam propoſitionis non reuelatæ; adeóque fallibilem eſſe, prò quantum Dialecticæ & Theologicæ eruditionis oſtentas! volo dicere, quàm peccas multipliciter! Primùm enim Concluſione Theologicii

logici huius Syllogiſmi neutiquam nitimur nos Catholici, ſed expreſſis ſcripturæ verbis poſt admetiendis. Quod ſi neſcis, iterum indoctus es; ſi diſſimulas, iterum malitioſus Deinde meminiſſe potes diſtinctione unicâ, eáque notiſſimâ totam hanc dubitationem de fallibilitate concluſionis Theologicæ rectiſſimè ſolui à Theologis noſtris, quæ diſtinctio talis eſt:

Concluſio Theologica ut deducta fallibilis eſt, & ſequitur partem debiliorem, non item ut explicata.

NOſti, quia legiſti. Noſti, quia in ſcholis noſtris in Materia de fide ſcripſiſti. Noſti, quia utique priuato ſtudio ſcripta hæc tua excoluiſti. Cur diſſimulas? Intelligis tu diſtinctionem, ut adeo explicatione mea ulteriori non utique egeas: aliis non doctis vix longiſſimo verborum tractu explicem. Sed nec illud potes ignorare, Concluſionem Theologicam ut deductam ex una reuelata, & altera non reuelata propoſitione, etſi ut ſic fide diuinâ certa non ſit, eſſe tamen firmiorem, certiorémque, quàm ſit quælibet cuiuscumque ſcientiæ humanæ etiam Mathematica demonſtratio, ut adeo quæ per concluſiones Theologicas ſcimus, maximâ quæ in humanis eſt, certitudine ſciamus. Sed hæc ſubtilitatis maioris ſunt, quàm ut hoc loco latiùs tractentur Et niſi coegiſſes tu, non attigiſſem ego.

Ceterùm in tota Reuocatoria tua noueris nihil nobis benigniorem & uberiorem riſus materiam præbuiſſe, quàm hunc Dialecticum Diſcurſum & Incurſum tuum, idque duas ob cauſſas. Primùm enim mirabamur te in Concione Germanica ad ciues Stralſundanos habita, quorum partem maximam illiterata plebes conficit, ex Logica argutari voluiſſe. Ut arrexerint aures fartores, & ſartores, cerdones quoque & piſcatores Stralſundani ad penitus peregrinas voces ſenſúſque ex Peripato allatos? ut plauſerint tibi ob non intellectas argutias iſtas? In hoc itaque iudicium tuum plures deſiderauimus, & te toto ſplene, fatebor, ſemel riſimus. Altera riſus materia illa erat, quod Prædicans Lutheranus, qualis tu modò es (an non erubeſcis hoc dicto? utinam ad ſalutem!) ex Logica nos impeteret, & Syllogiſmorum regulis alia exſpectantes omnia externaret: ad hæc amenta hiſtorica ex epitomatoribus intorqueret &c. ac non potius meris, & in cumulum congeſtis, aptis ineptisúe (quid refert?) ſcripturarum locis nos pauefaceret. Ita enim cogitabamus, ita & loquebamur: Si ego, vel de Societate noſtra alius quicumque tale ſcriptum contra vos in dogmate quodam fidei controuerſo vulgaſſemus, an non retuliſſemus hoc conuitii continuò à vobis? Apage ſophiſmata hæc. Quid nobis cum Dialectica, regulíſque Logicæ tricatio eſt? Scripturas volumus: Verbum DEI efflagitamus. Habes cur riſerimus; nempe, quia nec unum ſcripturæ locum nouus Lutheranorum, & ſubitò tam celebris, quem Miraculis ſuis ipſi annumerant, Prædicans

dicans attulit, ab ipſa pagina 15. ubi diſputare incipit, uſque ad finem. Quòd verò ridemus nos, tui, ſi legerint, indignabuntur.

Exploſimus ſiue malitiam, ſiue imperitiam Tremellii, Syllogiſmum Philoſophicum à Theologico ſiue non valentis, ſiue non volentis diſtinguere. Nunc vim & energiam argumenti pag. 15. ab eo poſiti exploremus.

Ais ponere nos ceu Iudicem Eccleſiæ infallibilem quemuis legitimè electum Pontificem Romanum, ut Alexandrum VII. Innocentium X. &c. neque tamen certos eſſe nos ullo modo, Alexandrum VII. verb. gr. eſſe legitimum Pontificem, cùm nullibi id extet reuelatum in ſcriptura, ſicuti extat de S. Petro. Dato ergo Petrum fuiſſe Caput Eccleſiæ infallibile, propter expreſſam in ſcriptura reuelationem de Petro, non tamen idem continuò dici poſſe v. g. de Alexandro VII. deficiente ſcilicet ſcripturâ, & reuelatione diuinâ de Alexandro.

O argutiſſimum argumentatorem! An omnia in particulari, imò in indiuiduo ſcriptura ſacra neceſſe habet exprimere vel aſſerere, quæ credenda nobis ſunt? An non ſatis particularia iſta in uniuerſalibus, vel quaſi uniuerſalibus ſcripturæ propoſitionibus ceu incluſa intelliguntur? Explico clariſſimè, & quidem iis exemplis, quæ tu mihi ſuppeditas. Age, dic. An non verum, & certum de fide eſt, me teneri vi legis Evangelicæ te Tremellium, etſi modò hoſtem noſtrum, in particulari tamen & indiuiduo, (Latiniùs diceremus: ſigillatim) amare? Ubi verò Tremellius ſigillatim in ſcriptura expreſſus eſt? Ubi lego: Diliges Tremellium, etſi hoſtem tuum, ſicut teipſum? An non ſatis eſt ad hoc illa uniuerſalis ſcripturæ præceptio: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*: Item: *Diligite inimicos veſtros*? In quibus generalibus & reuelatis quidem propoſitionibus atque vocabulis tu non aliter intelligeris incluſus, ac ſi nomen tuum ſcriptura ſigillatim expreſſiſſet. Nam & proximus es, & inimicus nomini noſtro. An negas?

Rurſus, an non ex fide certum eſt, te Tremellium, etiam ſigillatim eſſe redemptum à Chriſto, ita quidem, ut ſi quis id de te etiam ſolo negaret, hæreticus fieret? Ubi verò Tremellius in ſcriptura eſt expreſſus? Ubi hoc de eo ſigillatim reuelatum? An propterea Tremellius redemptus non eſt? & quomodo probarem neganti alicui te redemptum eſſe? An non tali Theologico Syllogiſmo?

Omnis homo eſt redemptus à Chriſto 1. Pet. 1. 8. &c. Tremellius eſt homo. Ergo Tremellius eſt redemptus à Chriſto.

Ecce iſta Concluſio, ut explicata hoc Syllogiſmo Theologico, eſt de fide, & tamen Tremellius, qui ſecundam & tertiam facit propoſitionem, an in ſcriptura uſpiam eſt expreſſus?

Eàdem

Eàdem ratione (ut ad propoſitum redeamus) neceſſarium neutiquam eſt, ut hic Innocentius X. hic Alexander VII. nominatim in ſcriptura expreſſi ſint, ſicut Petrus (quod tu imperitiſſimè flagitas, peculiarem ſcilicet de hoc illóue Pontifice reuelationem) ſed ſufficit, ut in ipſo Petro, ceu ſtripe, virtualiter, ut loquimur, velut legitimi ipſius ſucceſſores includantur, quales omnes ſunt, & à verè intelligentibus habentur, qui ab uniuerſa Eccleſia velut tales, id eſt, velut legitimi ſucceſſores ſunt recepti. quæ omnia erunt clariora paulo poſt ex §. ult. ubi demonſtrabitur, quomodo in illis propoſitionibus: *Tu es Petrus* &c. Matth. 16. Et *Paſce oues meas.* Ioan. 21. omnes S. Petri legitimi ſucceſſores, atque ita etiam Innocentius X. Alexander VII. &c. ſint incluſi.

Et hæc ſunt, quæ tu contra primum Catholicorum argumentum, quod eſſe vis Philoſophicum Syllogiſmum, imperitè, ut oſtenſum eſt, & falsò obiecisti; falsò quidem, quòd aſſeras, nos Syllogiſmo tantùm philoſophico niti, nullâ autem ſcripturâ, cùm totum fundamentum noſtrum ſcriptura ſit, quam ſolùm talibus Syllogiſmis explicamus & euoluimus; imperitè autem, quòd Syllogiſmos, qui ex toto Theologici ſunt, tu philoſophicos Syllogiſmos, ad fucum faciendum, auſis appellare. Ita ordiris peſſimè, mi Tremelli.

Secundum Catholicorum argumentum quod ex opinione Tremellij eſt de Traditionibus, qàm miſerabiliter ab eodem Tremellio oppugnetur.

PRogrederis exin, aisque pag. 17. §. wellen ſie &c. alterum argumentum Catholicorum ex Traditione deſumi, quando ſcripturæ nullæ ſuppetant. Rurſum non falsò ſolùm, ſed & imperitiſſimè tu iſta. Quis enim Theologorum Traditiones adhibet, cum expreſſas ad manum ſcripturas habet? Quis myſterium SS. Triadis, quis Incarnationem Chriſti, quis virginitatem perpetuam Bmæ Virginis &c. ex Traditionibus probat, cum ei ſcripturæ abunde ſufficiant? Traditiones tunc ſolùm & rectiſſimè nos Catholici adhibemus (quin & hæretici, idque re neceſſariâ) cùm expreſſis ſcripturæ verbis in aliquo fidei articulo deficimur, ut non rarò deficimur. Ita ex ſola traditione credimus S. Matthæi Evangelium verum Evangelium eſſe, S. Bartholomæi, quod olim circumferebatur, non eſſe. An negare audetis? Fallis itáque, ſciens quidem, cùm ex Traditionibus probari à nobis Infallibilitatem noſtram aſſeris. Nemo Catholicorum hoc argumento unquam uſus eſt, nemo ſapiens utetur, cùm ſcripturæ plurimæ pro infallibilitate hac, præſto nobis ſint, quas tibi infra admetiar, ut duplicem falſitatem, quam hic committis, oſtendam omnibus, quarum prima eſt nos pro infallibilitate noſtra demonſtranda ſcripturis deſtitui; altera, nos ſcripturarum loco Traditiones afferre. Quod verò addis pag. 18. &

 gene-

generatim contra Traditiones, omnium ſcilicet hæreticorum more, inſurgens aſſerere audes, Traditiones nullam habere infallibilitatem ex ſcriptura, neque ſcripturis ipſis æquiparari poſſe, id illiteratis tuis perſuaſeris fortaſſis, qui temere vobis credunt omnia, etſi abſurdiſſima ſint; aliis ſiue malitiam, ſiue inſcitiam tuam, quas perpetuò miſces, ridendam propinabis. Si enim Traditiones, ſiue verbum DEI non ſcriptum, (quod idem eſt) verbo DEI ſcripto non æquiparantur, quomodo igitur, aut cui prima, eáque ſanctiſſima, vobis etiam teſtibus, Eccleſia credidit, antequam ullum DEI verbum ſcriptum, ſiue ſcriptura ſacra extaret (& primis decem annis nulla extabat, ut conſtat inter litteratos.) An non Traditionibus credidit, quæ ſolæ extabant? quis negauerit, niſi ſtolidus? Si autem Traditiones legitimæ ſcripturis non æquiparantur, quomodo rectè & ſecurè credidit? Si etiam Traditiones nullam firmitatem ex ſcriptura obtinent, ut tu falsò iactas, cur ergo D. Paulus ſcripſit 2. Theſal. 2. 15. *Tenete Traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram?* Atque hæc de ſecunda Catholicorum, ut tu perhibes, argumento pro infallibilitate ſua, à te perperam & imperitè propoſito. Profectò magnam inibis à tuis Lutheranis gratiam, & auctoritatem tuam in immenſum hac ratione augebis. Videamus de tertio.

Tertium Catholicorum argumentum, quod eſt de Conciliis, quàm eneruiter impugnet Tremellius.

TErtium Catholicorum argumentum, quod eſt de Conciliis, quo ſtabiliri à nobis Eccleſiæ noſtræ, & Capitis eius infallibilitatem iam non exfalſo aſſeris, Tremelli, hoc, inquam, tertium argumentum nihilo proponis & oppugnas peritiùs, ſed ita, ut riſum mouere poſſis doctioribus, imò ſolà ratione utentibus, aut potius miſerationem. Ita eneruiter diſputas, ita nec verbo unico urges aduerſarios tuos, quod oſtendo.

Probandum tibi hoc loco erat nihil nos Catholicos præſidii à Conciliis habere (hic enim rhodus, hic ſaltus erat) tu verò alium longè ſaltum facis, & alterâ continuò lineâ incipis argumenti loco calumniari Patrum in Conciliis congregatorum cunctationem, in Proiecto, ut vocas, Concilii conficiendo, & Pontifici ſubmittendo. Quid iſtud ad propoſitum tuum, obſecro, facit? imò contra illud facit, inconſiderate Tremelli. Laudatiſſima, in re tanti monenti, cunctatio eſt. Non ſcribuntur Conciliorum Decreta perpetuis per Eccleſiam valitura temporibus eâ in conſiderantiâ, quâ Stralſundiana hæc conciuncula tua conſcripta, an effuſa? eſt. Ipſe quoque tu tantilla in re cunctari debueras amplius, & Proiectum dicendorum à te multò ſtudioſiùs facere, ne partus tam immaturus, ſolâ inconſiderantiâ obſtetricante, Lutherano utero tuo effunderetur. Deinde quanta, & quàm admirabilis argu-

argumenti Tremelliani vis eſt, quæ talis eſt! Patres in Conciliis collecti cunctantur Proiectum conficere decernendorum. Ergo à Conciliis pro ſua infallibilitate nihil præſidii habent Catholici. An non deliraſti ex morbo tuo, cum hæc ſcriberes?

Progrederis poſthac, & eâdem efficaciâ rurſus argumenti loco inuectiuam inſtituis in ſcholarum Catholicarum diuerſitates, Nominalium, Thomiſtarum, Scotiſtarum, Ieſuitarum &c. unde concludis, aut ego potius tuo loco id facio, à tam diuerſis ſcholis non niſi diuerſa quoque & contraria in Conciliis, ubi ſcholæ hæ conueniant, decerni poſſe. Rurſum, mi Tremelli, paroxyſmus te tuus concutit, & excutit mentem. Quàm enim putidè rurſum hæc dicuntur, & necquicquam ad propoſitum tuum! An enim de omnibus etiam antiquiſſimis Conciliis, an tantùm de poſtremis iſta diſputas? Si de omnibus, ut neceſſe eſt à te fieri, ſi quid probare vis contra Concilia Catholicorum, obſecro te, Tremelli, ut dicas nobis, primo Concilio Nicæno, Conſtantinopolitanis omnibus, primo & ſecundo Epheſino, Chalcedonenſi, aliiſque antiquiſſimis Conciliis quis Nominalium interfuerit, quis etiam Thomiſtarum, Scotiſtarum, aut Ieſuitarum? quæ ergo vis eſt in hoc argumento tuo, quo Concilia omnia euerſum is? Si verò de poſterioribus Conciliis, quale Tridentinum fuit, intelligi vis, contra experientiam Lutheranorum omnium aſſeris Patres ex his ſcholis potiſſimum congregatos concordes eſſe non poſſe. Senſiſtis, malo veſtro, imò, niſi obſtaret pertinacia, bono veſtro æterno, ſenſiſtis, inquam, mei Lutherani, quàm ſcholæ hæ in Tridentino collectæ neque tunc diſcordauerint, cùm unanimi ſententiâ veſtros errores damnarunt, neque tunc, cùm Catholicas doctrinas concordiſſimis ſuffragiis ſtabiliuerunt.

Fruſtra etiam in illa tua obiectione velut triumphare videris, quæ eſt, non conuenire dictas ſcholas in re momenti præ omnibus maximi, an ſcilicet Papa ſupra Concilium ſit, aut è contrario Concilium ſupra Papam. Item, an labi in hæreſin circa aliquem fidei articulum Pontifex noſter poſſit, & eandem hæreſin publicè docere, credendámque fidelibus proponere, an contra non poſſit. Quid igitur de reliqua ipſorum concordia ſentiendum ſit? Ita Tremellius meus.

Expedio méque, téque hoc loco, quàm poſſum, breuiſſimè. Nam ſi quæſtiones has ad viuum reſecare vellemus, libro foret opus, quem neque tu deſideras, neq; ita otioſus ego hoc tempore ſum, ut ſcribam.

Aio itaque primò, idque ex ſenſu verè Catholico. Pontifex ſummus hæreſin omnino nullam docere ex cathedra poteſt, aut credendam decernere. Ita hodie Theologi Catholici omnes, Nominales, Thomiſtæ, Scotiſtæ, Ieſuitæ. Si qui, iique pauculi (quorum nonnullos etiam tu recenſes pag. 19.) olim contrarium docuerunt, improbabiliter docuerunt: habetúrque hæc ſententia ipſorum modò temeraria, erronea, & hæreſi proxima. Ita Card. Bellarm. l. 4. de Rom. Pont. c. 2. ad fin. Nec præiudicare aut poſſunt, aut debent pauculorum ſententiæ, maximè im-

 proba-

probabiles & nouæ, ſuffragiis contrariis aliorum omnium, uti in dicaſteriis, ſic & in ſcholis.

Aio ſecundò, neque illud hodie controuerſum eſſe apud DD. Catholicos, an Papa ſit ſupra Concilium, an è contrario Concilium ſupra Papam. Conuenire enim ſcholas noſtras in eo, ut doceant, Papam eſſe ſupra Concilia vel ex eo intellige, quòd concorditer tradant omnes, nullius Concilii Canones aut debere, aut poſſe recipi, niſi à ſummis Pontificibus approbatos, cùm contra Pontificum ſummorum Decreta Conciliorum approbatione nihil egeant. Et verò Concilia ipſa ita ſentiunt, dum approbandos Canones ſuos Romanis Pontificibus perpetuò ſubmittunt. An ergo nunc dubium ullum, aut opinionum diuerſitas ulla relinquitur, an Romanus Pontifex ſit ſupra Concilia, cùm ipſe ſine Conciliis, præuiâ tamen requiſitâ in Domino diligentiâ, quâ Roma ſemper eſt uſa, ſtatuere poſſit circa dubia fidei, quæ videntur (idque ita egit tribus trecentis annis, quibus Concilia nulla ſunt acta.) cùm è contrario Concilium quodcumque ſtatuere ſimilia ſine ſummo Pontifice non poſſit. Dixi circa dubia fidei. Nam circa Iuriſdictionem diuerſa quæſtio eſt, an ſcilicet etiam quoad Iuriſdictionem Pontifex ſupra Concilia ſit, ita ut à Concilio nullo abdicari Pontificatu ſuo poſſit; an verò quoad hoc, ſi malè videretur gubernare Eccleſiam, ſub Conciliis ſit, ita ut ab eis abdicari queat: hæc, inquam, ſola quæſtio de Iuriſdictione controuerſa eſt, ſed quæ nihil pro te facit, Tremelli. Et verò hodiéque illa vincit in ſcholis ſententia, quæ docet abdicari eum non poſſe niſi volentem atque conſentientem, iuxta illud antiquiſſimum pronuntiatum Sinueſſani Concilii: *Summa ſedes à nemine iudicatur.* Quod Theologi noſtri non dicunt tantùm, ſed & probant. Ecce concordiam vobis non imitabilem Scholarum Catholicarum, ut in aliis dogmatis, ita & in iſto de SS. Pontificibus & Conciliis, quod tu imperitè negabas.

Quid porro obiicis hoc loco Tremelli? Quidquid ſit, inquis pag. 19. de Conciliis iſtis, ſiue Romano Pontifici infallibilitatem hanc tribuant, ſiue negent, nullum ex Conciliis argumentum ſolidum pro infallibilitate Romani Pontificis adduci idcirco poteſt, quòd pro ipſis Conciliis & eorum auctoritate infallibili nihil omnino in ſcriptura ſacra inueniatur. Ita audaciter, imperitorum more, Tremellius. Conquerar primùm pauca, poſt reſpondebo. Miſeret inprimis plebis uniuerſæ Lutheranæ, quæ toties iſta ex Præconibus ſuis hac in parte fallaciſſimis audit: De hoc nihil uſpiam in ſcriptura extat, ſed mera hominum inuenta & nugamenta ſunt v.g. De primatu Petri nec verbum in ſcriptura inuenias; de purgatorio itidem nihil, de inuocatione ſanctorum minus nihilo, uti & de mercede bonorum operum &c. Ita nimirum dementanda miſerrima plebecula eſt, ita in erroribus retinenda. Hanc artem iam callet Tremellius meus. Nihil, inquit, uſpiam in ſcriptura de Conciliis exſtat, aut de auctoritate eorundem. Quid ſi autem pro

Con-

Conciliorum approbatorum auctoritate irrefragabili non tria quatuórue ſcripturæ loca, ſed tres quatuórue ſcripturarum eiuſmodi Claſſes adferre continuò poſſim? Et vellem & poſſem, ſi opuſculi huius ratio pateretur. Indico tamen in præſens, ubi inuenturus ſis quatuor diuinorum eiuſmodi Teſtimoniorum velut contubernia & claſſes. Adi Card. Bellarm. l. 2. de Conciliis, c. 2. cuius iſte titulus eſt.

Concilia Generalia confirmata errare non poſſe ex ſcripturis demonſtratur.

Lege, expende, & ſi potes, refuta; & ne velis poſthac pro fulcris miſeræ fidei, quam modò arripuiſti, tam apertis mendaciis uti, neque in hoc alios imitari.

Illud quoque non videbatur prætereundum, Tremellium, dum contra Concilia diſputat, prælongam ob toleratos à Principibus Catholicis Iudæos, non toleratos contra hæreticos querimoniam pag. 20. & ſeqq. texere. Quàm aptè, quàm in loco & tempore? Iudæi tolerantur. Ergo Concilia nihil iuuant Catholicos. Geminum eſt, quod eâdem paginâ ex Alberto Magno contra Pontifices Romanos adfert, ut probet Concilia nihil pro Catholicis facere. Quod itidem tam extra rem ſcopúmque eſt, ut nihil magis. Refutemus riſu, quando alio opus non eſt; quod prudentium Lectorum quilibet, ipſe, ſi legat, fatebitur. Ceterùm ſi noſſe compendio vis, cur tolerentur Iudæi à Principibus Catholicis, hæretici in ditionibus eorum non tolerentur, rem dicam breuiſſimè. Iudæi quietiores ſunt; turbas nullas cient; nullas animas ſeducunt; adhæc conuerſionis ſuæ ad Chriſtum certiſſimum à ſcriptura ſacra habent teſtimonium, Rom. 9. v. 27. & alibi. Ob hoc tolerantur.

Subiungit Iudaicæ tuæ diſſertationi, argumentum, ut vocat, ſecundum Tremellius pag. 22. & ipſum tremendum Catholicis, quod eſt tale. Videri incredibile, & prorſus adynaton, ut qui hodie Cardinalis ſit fallibilis, cras in Pontificem electus ſubitò infallibilis efficiatur, cùm conſtet doctrinæ nec micam ipſi per hoc adiici; idque credit Pontifices ipſos, ſi rogentur, confeſſuros. Hæc Tremellius, ô quàm albæ in hoc mentis argumentator! Si miraris hoc tantopere, mirare & illud D. Petrum pridie electionis ſuæ piſcatorem fuiſſe indoctum, & illiteratum, & fallibilem; ipsâ verò die, quâ electus eſt in Eccleſiæ caput, etſi naturalis doctrinæ ipſi nihil acceſſerit, eo tamen fuiſſe priuilegio, & continuò quidem præditum, ut in deciſionibus ſuis errare iam non poſſet. An in doctrina Pontificis, & multiplici ſcientia fundamus, aut fundauimus aliquando infallibilitatem noſtram, inconſideratiſſime Tremelli, ac non potius in aſſiſtentia promiſſi Spiritus Sancti, & ſponſione illa Domini: *Ego rogaui pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Luc. 22. ut S. Leo infra citandus, aliique explicant? Sed nimirum iterum aliena à ratione æger noſter loquitur. Miſereamur.

Poſt

Poſt has paginas, vigeſimam ſcilicet ſecundam & tertiam, inuenio planè nihil, amice Lector, quod refutatione ulteriori vel egeat, vel dignum videatur. Nam quæ deinceps pag. 24. affert ex hiſtoriis contra Romanos Pontifices, uti & illa, quæ deinceps contra Theologos noſtros veluti diſcordes; poſtremo quæ contra Societatem IESV infercit in conciunculam ſuam, ea prioribus §§. refutata ſunt ut opinor, ſatis, & quàm vellet Tremellius, copioſiùs. Niſi fortè quis ad omnes manifeſtas calumnias reſponſum à me exigat, qualis eſt v.g. illa pag. 38. vendi Romæ magno oſſa ſanctorum, uti alibi oſſa piſcium &c. ſi quis, inquam, exigat, hæc ſigillatim refutari à me, is imponat mihi graue onus, ut ſcilicet actum agam. Hæc enim talia ſemet refellunt, ſtatímque apparent ægri hominis deliria eſſe.

Reſtat ergo ſolum §. ultimus, in quo ſententiam noſtram Catholicam de infallibilitate noſtra producamus Lectoribus, quos rogo, ut attentis animis, præſertim ſi Catholici non ſint, accipiant, profutura forſitan (ô det Deus?) ad ſalutem. Nec enim credo aut me, aut alium quemuis ſcribere poſſe aliquid, quod ipſis ſalutarius, ut expendenti clarum fiet.

§. Vltimus.

Catholica ſententia de Romani Pontificis, ceu Capitis Eccleſiæ, ipſiusque Eccleſiæ Infallibilitate, & eiuſdem ſententiæ Fundamenta.

I. Fundamentum ex Scriptura Sacra.

POtiſſimum fundamentum cum aliis præſtantiſſimis viris conſtituo in illa Chriſti D. Sententia, Ioan. 21.

Petre, paſce oues meas.

Aio hoc textu res duas momenti maximi virtute includi. primò omnes Romanos Pontifices, qui S. Petro legitimè ſucceſſerunt hucuſque, & deinceps ſuccedent uſque ad finem mundi: Deinde promiſſionem Chriſti non ſoli S. Petro factam, ſed omnibus etiam legitimis ſucceſſoribus Petri, de Infallibilitate in dirigendo per doctrinas ſanas grege Dominico; atque ita conſtitui hoc textu ſacerrimo Romanos Pontifices non tantùm ut futura poſt Petrum Capita Eccleſiæ uniuerſæ, ſed etiam ut Capita Infallibilia, quod iuuante ſpiritu Chriſti, quem humillimè inuoco, ita clarè oſtendere aggredior.

In hoc dicto Chriſti: PASCE OVES MEAS: ineſſe poteſt duplex ſenſus, de quo deinceps deliberandum erit, quis eorum Bonitati, Prouidentiæ & Charitati Chriſti in Eccleſiam & ouiculas ſuas conformior ſit. Primus ſenſus poteſt eſſe iſte.

Petre,

Petre, cùm primùm ego terras reliquero, & aſcendero in cœlos, tu eſto viſibilis Paſtor gregis mei univerſi, atque ita Caput Eccleſiæ meæ, quamdiu viuis. Hunc tu gregem defende contra incurſantes lupos ſtrenuè atque fortiter, neque patiaris, quantum à te eſt, ut vel una ouicula aberret ac pereat. Ubi verò tu mortuus fueris, coelóque mecum receptus, relinque ſanè ſine alio Paſtore ouiculas meas. ipſæmet regant ſe deinceps atque paſcant, ut volunt, & tueantur ſe contra lupos, ut poſſunt. Verbo, Cura tua paſtoralis definiatur vita tuâ; eâ exſpirante exſpiret etiam ipſa. Haberis ſenſum primum, qui dicto Domini noſtri tribui poſſit.

Alter ſenſus eſſe poteſt, qui ſequitur. Petre, quamdiu tu quidem inter mortales viuis, paſce oues meas uniuerſas per temet, & in propria perſona fideliter atque fortiter. Contra lupos, & quæuis pericula tutare. Caue vel unica pereat, quantum à te eſt, aut lupis in prædam cedat &c. Ubi verò deſieris viuere in hoc mundo, relinque paſtoritium pedum, poteſtatem ac ſolicitudinem tuam, & commenda alteri poſt te digno aptóque, & hic rurſum alteri legitimè eligendo, atque ita deinceps uſque ad finem mundi, qui paſcant oues meas, ſicut tu prior pauiſti, fortiter, fideliter. Ego verò vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſeculi, & in illud uſque tempus per te & ſucceſſores tuos regere volo Eccleſiam meam &c. Quæritur nunc quis horum ſenſuum ſit bonitati, prouidentiæ, ſapientiæ atque Charitati Optimi Paſtoris Chriſti congruentior? quis ouibus conducibilior? quis conformior rationi? utique ultimus & poſterior. In hoc autem ultimo ſenſu, includuntur, ut vides, in hoc dicto Chriſti: *Paſce oues meas*; omnes S. Petri ſucceſſores legitimi uſque ad finem mundi, ut ſint & ipſi Paſtores ſupremi, ſicut fuit Petrus, & Capita Eccleſiæ, ſicut Petrus. Et hoc primum illud eſt, quod latere dixi in hoc Domini dicto, ſcilicet omnes S. Petri ſucceſſores legitimos.

Venio nunc ad alterum de duobus, & oſtendo hoc eodem dicto promitti non ſoli Petro, ſed & omnibus eius ſucceſſoribus Infallibilitatem directionis circa gregem Dominicum per doctrinas veras & ſanas; quam veritatem iterum eruo ex duplici ſenſu, qui verbis Domini poteſt ineſſe. Primus ſenſus itaque poteſt eſſe hic. Petre, paſce oues meas tum per te, quamdiu viuis, tum per ſucceſſores tuos à morte tua, pro libitu tuo, itémque pro ſapientia & prudentia tua. Ego me non miſceo paſtoritiæ veſtræ, nec peculiarem aliquam de cœlo aſſiſtentiam promitto, ſed permitto veſtræ curæ, & prouidentiæ omnia; In ſalubria, an venenata paſcua doctrinarum deducatis; errare patiamini ouiculas, an ab errore reuocetis, id arbitrii veſtri ſit. Ouicularum tamen animas de manibus veſtris requiram &c. An verò primus hic ſenſus bonitati optimi Paſtoris ullo modo conuenire videbitur, ac non potius iſte ſecundus? *Paſce oues meas, Petre*; Sed non niſi paſcuis ſanis & ſalubribus, id eſt, non niſi doctrinis ſanis, à me ſpiritúque meo Sancto acceptis, ſicut ego paui. Quia verò ad gubernandum tantum gregem, & contra tot incurſuras, quas præui-

deo, beſtias, ſapientia & prouidentia veſtra ſufficere nequaquam poteſt, ego vobis peculiariter cum Spritu meo Sancto aſſiſtam; ego promiſſionem illam meam implebo, ut portæ inferi, qui ſunt lupi infernales, Errores, hæreſes &c. nunquam vel contra te præualeant, vel ſucceſſores tuos. paſcua conſeruabo ſemper ſalubria; venenis infici nunquam ſuſtinebo &c. An non hic alter ſenſus veriſſimus eſt, & bonitati diuinæ Chriſti unicè conformis? Certè non paſcit gregem, qui inficit, qui in prædam lupis proſtituit, ſed perdit.

Hic autem animaduertis, quiſquis non ſponte es cœcus, ſi verba Chriſti hos ſecundos ſenſus efficiant, includi in illis primùm omnes S. Petri ſucceſſores; deinde iiſdem verbis non conſtitui tantùm Capita Eccleſiæ uniuerſæ, ſed & infallibilia Capita, contra quæ nullæ inferorum portæ unquam ſint præualituræ; talia ſcilicet, quale S. Petrus fuit. Qui aliter explicat, prouidentiæ diuinæ ingentem iniuriam facit. Quin illud audeo ſine temeritate ulla dicere, in tempora S. Petrum inſecutura magis neceſſarios fuiſſe Eccleſiæ ſummos eiuſmodi, & infallibilis auctoritatis Paſtores, quàm tempore ipſo S. Petri, cùm & plures, & multò validiores hoſtes ac lupi poſterioribus ſeculis gregem Domini incurſarint, quàm vel temporibus S. Petri, vel quæ S. Petro propiora erant, ut hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis ſupérque legere volentem docebit. Quod ſi plura S. Scripturæ loca deſideras pro infallibilitate tum S. Petri, tum ſucceſſorum eius, cape ſecundo loco illud Matth. 16. iam indicatum: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*, ſcilicet Eccleſiam. Si verò falli poſſet & exerrare in dogmatibus ſiue Petrus in ſe, ſiue in ſucceſſoribus ſuis, imò ſi in unico falli poſſet, iam utique præualerent portæ inferi aduerſus eam. propagarent enim errores ſuos in omnem, quis dubitet? Eccleſiam, errantes paſtores, quemadmodum Caput in membra ſua noxios humores, ſi iiſdem abundet, diſpenſat.

Cape tertio loco illud Luc, 22. *Ego rogaui pro te, Petre, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quæ verba ſancti Patres, & ſcripturæ interpretes non de ſolo Petro, ſed etiam ſucceſſoribus eius, rectè explicant, ſcilicet rogaſſe Chriſtum, ut neque Petri fides deficiat unquam, neque eorum, qui poſt Petrum alteri futuri eſſent Petri, cum eadem ſcilicet poteſtate & ſolicitudine ſucceſſores Petri. Ita interpretantur S. Leo. M. Serm. 2. de natali Apoſt. Petri & Pauli, & alii.

Atque hæc ex ſcriptura, & ore Chriſti, veritatis æternæ; quæ peruertere, vel, ut cum S. Petro loquar, 1. Pet. 3. *deprauare* poteſtis, ô miſerabiles hæretici, euertere non poteſtis.

II. Fundamentum pro Infallibilitate ex Conciliis Eccleſiæ in Spiritu S. Congregatis.

OMnes verè Chriſtiani Imperatores, Reges, Principes & Populi ſuſcipiunt, ſem-

pérque ſuſceperunt Decreta approbatorum Conciliorum, non aliter, ac *regulas fidei infallibiles*, imò non aliter ac ipſas ſcripturas ſanctas. Ita enim Iuſtinianus Imp. in Authentica ſua CXXXI. de Eccleſiaſticis *Canonibus & Priuilegiis.* §. 1. & ſuo & Populorum ſuorum nomine loquitur. *Prædictorum* (primorum ſcilicet quatuor, quæ ibidem enumerauerat) *Sanctorum Conciliorum Decreta perinde ut ſacras ſcripturas ſuſcipimus, Canones, ut leges cuſtodimus.* Atqui Decreta hæc omnia atq; Canones firmitudinem hanc ſuam, & infallibilitatem tantam, ita ut mereantur etiam ſacris ſcripturis, quæ utique ex toto infallibiles ſunt, æquiparari, accipiunt ultimatè à Confirmatione ſedis Apoſtolicæ, eiúſque Epiſcopi, Pontificis Romani; quod quidem Concilia ipſa humiliter agnoſcunt, ideóque Confirmationem iſtam omnes omnium Conciliorum Patres ſuppliciter ſemper petere ſunt ſoliti, ut ex ipſis Conciliorum clauſulis patet. Unde ſequitur manifeſtò, totam denique infallibilitatis, quæ Concilia habent, cauſſam in Pontifices Romanos Conciliorum iſtorum confirmatores, ipſis Conciliis atteſtantibus, refundi. Valet enim hic vulgatum illud: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.* Si itaque propter auctoritatem confirmantis Pontificis infallibilia habentur Conciliorum Decreta, ita ut ſcripturis ipſis mereantur conferri, magis infallibilis utique Pontifex ipſe in ſuis Decretis erit. Et hæc demum diuina & admirabilis Hierarchia eſt Romanæ Eccleſiæ, quæ omnibus hæreticis, ideo exoſiſſima, qua inimitabilis eſt. Sed nunc unicum ex antiquiſſimis Conciliis auſcultemus, quomodo diſertis verbis confirmet id, de quo modò nobis tractatio eſt. Eſt illud Concilium œcumenicum ſiue Generale ſextum, Conſtantinopoli actum, in quo Agathonis Papæ epiſtola ad Conſtantinum Imp. recitata, & Actione 8. conſenſu probata eſt, cuius epiſtolæ pars ita habet. *Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis & aduerſis tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia* (Romanam intelligit) *quæ per DEI gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus unquam deprauata ſuccubuit; quia dictum eſt Petro: Simon, Simon, ecce Satanas* &c. *Ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua* &c. *Hic Dominus fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe cunctis eſt agnitum.* Quibus verbis Concilium pro Regula fidei ſuſcipit id, quod tenet Apoſtolica Chriſti, Romana ſcilicet Eccleſia; verba Chriſti ad Petrum, non ad eum ſolum, ſed ad eiuſdem ſucceſſores omnes legitimos refert; Regula autem fidei dici nulla poteſt, quæ fallibilis eſt, & incerta, ut patet. Sed quid Concilia ſigillatim adducere opus eſt, cùm de omnibus omnino Conciliis iam viderimus uniuerſim, quid de infallibilitate ſumorum Pontificum, & ſentiant, & conſentiant? Ad tertium faciamus gradum, quod ex conſenſu SS. Patrum ducitur, quod maximi ſemper momenti meritò eſt habitum, adeo quidem, ut ultima Pars Libri Concordiæ non aliud, quàm Teſtimonia Sanctorum Patrum maximo numero

adducat, iiſque ſuam de vbiquitate ſententiam non aliâ re magis poſt ſacram ſcripturam ſtabilire conetur.

III. Fundamentum Catholicorum pro infallibilitate ex conſenſu SS. Patrum & Eccleſiæ Doctorum.

EAmus per omnes orbis partes & Eccleſias, & earum ſenſum vel ob hoc verè Catholicum exquiramus. Prima eſto.

Africana Eccleſia. Hæc ore S. Cypriani Epiſcopi & Martyris, itémque S. Auguſtini Eccleſiæ Doctoris, omnium, maximè illuſtrium ſiderum ſuorum, ſenſum animi ſui his verbis prodit.

Et quidem S. Cyprianus l. 1. epiſt. 3. editionis antiquæ ita ſcribit. *Nauigare audent* (loquitur de Clericis quibusdam ſchiſmaticis Romam tendentibus) *ad Petri Cathedram & Eccleſiam Principalem* &c. *neque cogitare, eos eſſe Romanos, quorum fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum.* Hæc ſanctus, negans perfidiæ, ſiue errori in fide (hunc enim in perfidiæ vocabulo intelligit) apud Cathedram Petri patere acceſſum, aut locum relinqui.

S. verò Auguſtinus in pſalmo contra Donati partem. Tom. 7. ſtatim initio huius Tomi. *Numerate*, inquit, *ſacerdotes vel ab ipſa ſede Petri, in ordine illo Patrum; quis cui ſucceſſerit videte. Ipſa eſt Petra* (ſcilicet illa Patrum ſucceſſio in ſede Petre) *quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Hæc S. Auguſt. qui ſcripta etiam ſua Romanis Pontificibus emendanda ſubiecit, ea probaturus ſolùm, quæ probarent ipſi, ut videre eſt Tom. 7. contra 2. epiſt. Pelagianor. ad Bonifacium Romanum Pontificem. Neque aliter ſenſit tota reliqua Africana Eccleſia, ſed his Doctoribus ſuis maximis, quis dubitet? conſenſit.

Aſiatica & Syriaca Eccleſia. Hæc S. Gregorii Nazianzeni calamo ita ſcribit, in carmine de vita ſua ante med. *Vetus*, inquit, *Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam* RETINET NB. *ſicut decet vrbem, quæ toti Orbi præſidet, ſemper de DEO integram fidem habere.* Hæc S. Gregorius, cuius quot in hac ſententia verba ſunt, tot in Lutheranos noſtros fulmina volant. Ecce Roma vetus eſt, quæ toti Orbi præſidet, habens retinensque ſemper rectam fidem atque integram, quia ita decet, ita & neceſſe eſt. Alter ex Syria, Aſiæ Prouincia, Præceptori ſuo ita ſubſcribit, Hieronymus, inquam, S. Gregorio Naz. in Apol. contra Ruff. l. 3. *Scito*, inquit ad Ruffinum, *Romanam fidem Apoſtolicâ voce laudatam eiuſmodi præſtigias non recipere; etiamſi Angelus aliter annuntiet, quàm ſemel prædicatum eſt, Pauli auctoritatem munitam* (fidem Romanam) NON POSSE MVTARI. Hæc S. Hieronymus Nazianz. ſtudioſiſſimus auditor, & fidei doctrinæque ipſius hæres. Latrate nunc contra veterem Romam noſtram noui hæretici, quantum vultis, quantum & poteſtis;

negate

negate & pernegate eam præſidere toti Orbi Chriſtiano; fidem eius ſugillate; abrogate auctoritatem &c. Ridemus, nec reponimus aliud, quàm: Gregorius Theologus, Auguſtinus Doctor Eccleſiæ, Cyprianus Martyr, Hieronymus presbyter aliud docuerunt. Horum ſinguli pluris nobis ſunt, ô boni, quàm Miniſtrorum veſtrorum, pumilorum ſcilicet ad hos Gigantes, Centuriæ, Legiones, Myriades, ſcilicet formicarum, aut locuſtarum, quæ ſolem obſcurare ſolùm denſitate ſuâ poſſunt quandóque, & ſolent, & locuſtæ tamen contemptibiles manent.

Europæa Eccleſia. Duos eligemus ex tot aliis, qui auro tamen & melle fluunt; auro primus, melle alter & nectare. Horum ore tam pretioſo, tam & dulci Europa noſtra proloquetur, quid de infallibilitate SS. Pontificum ſentiat. Age, procede in medium, & loquere prior, quia & ſenior, & Epiſcopus, S. Petre Chryſologe. Ita autem infit pro Petro Petrus, pro Sancto Sanctus, pro Epiſcopo ſuo ſupremo ſuffraganeus, in epiſtola ad Eutychetem, poſtea declaratum hæreſiarcham, quem hortatur, ut iudicium ſuum Pontifici Romano obedienter ſubiiciat, utpote qui veritatem fidei certam in dubiis ipſius ſit eidem præſtaturus. Vixit autem S. Chryſologus anno Dom. 440. cum S. Leone Magno. Epiſtola verò extat in 1. Tom. Concil. Chalcedonenſi Concilio præfixa.

Hortamur te, inquit, *frater honorabilis, ut his quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Ciuitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas: quia B. Petrus, qui in propria ſede viuit & præſidet*, NB. *præſtat quærentibus fidei veritatem.* Hæc Sanctus. Ecce viuere etiamnum D. Petrum, & præſidere in ſede Romana, præſtaréque omnibus, qui quærant ex animo, veritatem, tam vetuſtus & ſanctus Pater, ante annos mille ducentos docuit. Nos mutatis ſolùm nominibus, re ipsâ retentâ, quin hodiéque ita alloquimur Teutonas noſtras.

Hortamur vos, ô ſereniſſimi Principes, Populi glorioſi, & Reipublicæ inclytæ Germaniæ noſtræ, qui Lutherum hucuſque ſequi voluiſtis, *ut his, quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ ciuitatis*, Adriano VI. præcipuè; tum & aliis eius ſucceſſoribus *ſcripta ad vos ſunt, obedienter attendatis: quia B. Petrus, qui in propria ſede viuit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.*

Aureum Doctorem ſequatur mellifluus Bernardus Abbas. Huius quoque ore & Europa & Occidentalis Eccleſia loquatur, ſimúlque audiat, quæ in epiſt. 190. ad Innocentium ita ſcribit: *Oportet*, inquit, *ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala Regni DEI, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, ubi NON POSSIT FIDES SENTIRE DEFECTVM: Cui enim alteri ſedi dictum eſt aliquando: Ego pro te rogaui, ut non deficiat fides tua?*

Cui hi non ſufficiunt, videat in ſolum toties iam laudatum S. Matthæi locum, c. 16. *Tu es Petrus* &c. vetuſtiſſimos ſacræ ſcripturæ interpretes, Originem, Chryſo-

ſtomum, Cyrillum, alios; quos in eundem ſenſum verba Domini accepiſſe comperiet. Vnde modò ſic licet arguere, quærereque: Numquid errarunt omnes iſti SS. Doctores Eccleſiæ, & qui eiuſdem cum ipſis opinionis fideique fuerunt, ouiculæ eorum uniuerſæ, Africani, Aſiani, Europæi? Si omnes in unum hoc dogma, velut propoſitum ſcopum, errauerunt (quod ridiculum dictu eſt, ut in ſimili Tertullianus c. 28. de præſcript. ingenioſè expendit) ergo Eccleſia ipſa Chriſti errare & potuit, & errauit, quod nec hæretici conſideratiores aſſerere audent, ut poſt videbimus. Errat enim Eccleſia, ſi electiſſima eius membra cum Capite errant. Errant oues, ſi Paſtores errant, quæ ſe totas crediderunt Paſtoribus. Si autem eruditiſſimum ſit ita loqui & ſentire de Doctoribus Eccleſiæ tantis, tantiſque, qui ſubiecti iis ſunt, populis; credamus ſanè, quod crediderunt ipſi; amplectamur, quod ipſi amplexi ſunt, ſcilicet ſedem Apoſtolicam, quæ Romana eſt, eiuſque ſummum antiſtitem, ob tantas Chriſti Domini promiſſiones, ſicuti nunquam errauerunt in fide, ſic & poſitâ dictâ iam Seruatoris ſponſione etiam non poſſe errare, ſiue, ut cum S. Hieronymo loquar iterum, *non poſſe mutari*, de veritate ſcilicet in errores & falſitates.

IV. Fundamentum ex Ratione ipſa.

ECcleſiam illam, quæ ſola ſaluifica eſt, cum Capite ſuo infallibilem eſſe debere in dogmatibus ſuis, ipſa quoque Ratio non tantum ſuadet, ſed & cogit credere, & contrariam ſententiam velut naturaliter refugit & abominatur. Sic enim ratiocinatur.

Primò. Si Eccleſia errare poſſet cum Capite ſuo, Chriſtus ipſe, & Spiritus Sanctus dici poſſent errare, quod ſine ingenti blaſphemia dixerit nemo. Quia enim Chriſtus Dominus eſt ſponſus, atque ita Caput Eccleſiæ, ad Epheſ. 1. & 5. Sanctus verò Spiritus velut anima & inſpirator Eccleſiæ, quam ex promiſſione Chriſti, Io. 16. docturus eſt omnem veritatem; Si, illa, Corpus ſcilicet Chriſti, diſcipula autem Spiritus S. vel in dogmate uno erraret, certè error hic ſponſo Capiti, & Spiritui S. Directori ac Præceptori tribui poſſet, ut qui non perinde, ut promiſſum ab iis fuerat, direxerint Eccleſiam, ſed deſeruerint contra fidem datam, & officium ſuum neglexerint: ille quidem, Chriſtus Dominus, Paſtoris; qui perpetuam præſentiam gregi ſuo promiſiſſet Matth. 28. nec ſeruaſſet: hic autem Spiritus Sanctiſſimus villici, ſiue oſtiarii, Ioan. 10. qui oſtium ouilis Dominici malè cuſtodiſſet. Ita poſt Tertull. c. 28. de præſcript. ubi Spiritum Sanctum hoc villici nomine appellat, Card. Bellarm. lib. 3. de Eccleſ. c. 14. ſapienter atque efficaciter.

Secundò. Sequeretur contra omnem rationem Chriſtum Dominum non manere apud ſuos fideles uſque ad conſummationem ſeculi, contra ac promiſit

Matth.

Matth. 28. non manere etiam Caput Eccleſiæ ſuæ, contra illud ad Eph. 1. & 5. non manere denique ſponſum Eccleſiæ contra illud Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum.* Si enim tota Eccleſia errare poſſit, atque adeo errauerit circa articulum vel unicum, vel de ſacrificio Miſſæ, quam conſtat à tota Eccleſia receptam fuiſſe, ut de aliis ſileam, iam diuortium & repudium interceſſiſſet inter Chriſtum & Eccleſiam, factam ſcilicet meretricem & fornicariam; (Nec enim talem agnoſcit pro ſua, ſed ſanctam; corruptam verò abominatur.) deſiiſſet idem Dominus eſſe Caput Eccleſiæ, cùm Errantium Caput eſſe non poſſit Veritas; deſeruiſſet quoque fideles ſuos multò ante conſummationem ſeculi, imò verò paulò poſt deſponſatam ſibi in Cruce Eccleſiam. Deſerit enim Paſtor, qui errare & diſcerpi gregem ſuum ſinit, nec intereſt ſtultis cogitationibus, & quæ ſunt ſine intellectu ſpiritus DEI. Sap. 1. aut æterna Sapientia. Ecce quot blaſphemiæ emergunt ex eo, ſi auſis dicere, Eccleſiam & Caput eius poſſe errare in fide, & in errorem inducere. Tertiò & ultimò ſic cum illuminatiſſimo Bellarmino argumentemur. Obligamur ſub anathematis pœna, credere Eccleſiæ in omnibus ex illo Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Quam Chriſti ſententiam ſecuta Concilia anathema dicunt omnibus iis, qui Decretis Eccleſiæ non aſſentiuntur. At ſi fallibilis foret in Decretis ſuis Eccleſia, veríſque falſa miſcere poſſet dogmata, quis etiam Deus, niſi iniquus, (quod abſit) quis etiam Mundi Redemptor ac ſalus adſtringere mortales nos, ſaluâ ſapientiâ & iuſtitiâ ſuâ queat, ut ſub interminato etiam ſalutis diſpendio cum ethnicis & publicanis ſubeundo, incertis eiuſmodi Decretis adhæreamus, & per mille potius tormenta amittamus vitam, quàm Decretorum eiuſmodi fidem?

Hæretica ergo ſententia eſt & prorſus Aneuangelica, quæ pertendit poſſe Eccleſiam cum Capite ſuo errare. Imò non DEO tantùm & verbo ipſius, ſed rationi ipſi manifeſtò repugnat. Quod ſi vos Confeſſioniſtæ fallibilem habetis Eccleſiam, an hoc gloriæ vobis ducitis? An hac ratione homines ad eandem allectatis? An non illud omnium ſapientium ore exprimitis: A fallibili Lutheranorum Eccleſia libera nos Domine. Expendite hæc, oro, expendite, ſed quieti, ſed non præoccupati.

V. Argumentum non niſi Topicum, & ad hominem, ex verbis ipſis Lutheri.

RIdiculum videri poſſit non nemini, quod hic proponam, & eſt fortaſſe ridiculum; nec tamen inane ad hominem, à minori ductum, aut minimo potius ad maius. Ita ratiocinor quartò.

Cur nos Catholici infallibilitatem, quoad doctrinas dogmaticas, non tribuamus Capiti Eccleſiæ, cùm vos attribuatis Pedi? imò nec Pedi. Cur etiam aſſerere id

id timeamus cum ſcriptura ſacra, quod vos ſine ulla ſcriptura audetis? Explico, quæ inuolui. Vos, ô boni Lutherani, & ſeductæ columbæ Ephraim, infallibilitatem omnimodam circa doctrinas fidei tribuitis Luthero veſtro, uni ſingulari homini, & Lutherus ſibi ipſi hoc arrogat, non niſi Pes, imò excrementum Eccleſiæ; cur ergo nos Catholici non iure multò potiori id Epiſcoporum omnium ſummo, & Capiti, Romano Pontifici, & ſedi ipſius Apoſtolicæ, toti ſcilicet Corpori hoc tribuamus, cùm præſertim nullibi legamus de Luthero in ſcriptura: Luthere, paſce oues meas: Uti nec illud: Ego rogaui pro te, Luthere, ut non deficiat fides tua, aut ſucceſſorum tuorum, quæ tamen legimus de primo Romano Pontifice, & per interpretationem Sanctorum Patrum de ſucceſſoribus eius: *Petre paſce oues meas*: *Et: Ego rogaui pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*?

Sed negatis fortaſſe, vos infallibilitatem Luthero veſtro tribuere, aut Lutherum ſibi ipſi? Auſcultate ergo, quid Lutherus ipſe de ſe non uno loco ſcribat, in quo utique populum Lutheranum aſſentientem, an aſſentantem? habet. Nec enim ſolet ab ipſius doctrina vel latum unguem diſcedere. Tom. 2. Ienenſi in tractatu, **wider den falſch genanten Geiſtlichen Standt**/ut ipſe loquitur, pag. centeſima decima nona, à tergo paginæ, quinque lineis à fine ita de ſe ſcribit Lutherus.

Vnd ob ich mich einen Evangeliſten von Gottes gnaden nennet/ trawet ich daſſelb ehe zubeweiſen/den ewer einer ſeinen Biſchofflichen Titel oder Namen beweiſen kund. Bin deß gewiß/daß mich Chriſtus ſelbſt alſo nennet NB. **vnd darfür helt (das iſt/ für ein Evangeliſten) der meiner Lehre Meiſter iſt/ vnd auch Zeuge ſein wird am letzen Tag/ daß ſie nit mein/ ſonder ſein lauter Evangelium iſt.** Hæc Lutherus, fortè non ſine rubore legentium Lutheranorum. Simillima habet eod. Tom. 2. Ienenſi, **in der trewen vermanung an alle Chriſten/ꝛc.** pag. ſexageſima octaua, à tergo paginæ, his germanicis verbis, quæ Typographus maiuſculis expreſſit.

Jch bin ie gewiß/ daß mein Wort nit mein/ ſonder Chriſtus Wort ſey. So muß mein Mund auch deß ſeyn/ deß Wort er redet. Hæc Lutherus. Unde iam ſic arguimus Catholici. Qui ſe Evangeliſtam Chriſti facit, & os ſuum os Chriſti, & verba ſua merum Evangelium Chriſti, is utique ſe infallibilem, & nulli errori obnoxium facit. Atqui Lutherus hæc omnia de ſe affirmat, & vos aſſentimini, dum imprimitis, & maiuſculis quidem, itáque populis veſtris ingeritis velut oracula prophetæ veſtri. Ergo & ipſe Lutherus ſe infallibilem facit, hoc de ſe affirmando, & vos aſſentando; idque ſine ſcriptura ulla, ut ſupra argumentabar. Cur itaque nobis indignamini, ſi ſcripturâ duce, ſupra allegatâ, de Capite Eccleſiæ noſtræ Catholicæ infallibilitatem hanc, & de ipſa Catholica Eccleſia affirmamus? Sed nimirum ſi Catholicus ſcripturâ nixus aſſerere hoc audeat, continuò audiet: *Hic blaſphemat.* Si autem Lutherus id de ſe audaciſſimè pronuntiet, audiet è contrario: *Hic Prophetat.*

Quid reſpondetis ad hoc, ô boni? An in verbis modò allatis Lutherus verax fuit,

fuit, & verè etiam vobis eſt os DEI, & Evangeliſta Chriſti, Matthæis ſuppar & Marcis? Atqui ridebimini hoc aſſerentes. Si autem in hoc fallax, & temerarius, & inſipiens Lutherus fuit, (uti reuera fuit) cur doctrinam hominis, qui talis eſt, recipitis, & contra omnem omnium antecedentium Sanctorum & Doctorum ſententias mordicus planè velut infallibilem retinetis? Reſpondeat, ſi permittitur, recta ratio. Atque hæc fundamenta, hæc & argumenta noſtra ſunt, quibus infallibilitatem & Eccleſiæ noſtræ, & Capitis eius tuemur. Expendite in ſalutem veſtram, ô Teutones, & ſi fortiora in contrarium, habetis, afferte; ſed alia, quàm Tremellius, qui multa dicendo nihil dixit, uti hucuſque ſatis eſt demonſtratum.

METHODVS

BREVISSIMA ET CERTISSIMA ERRANTES ANIMAS

Reducendi ad Fidem Catholicam,

Loco Epilogi & Appendicis.

CEterùm prope eſt, ut gratias tibi referam, Tremelli, quod hanc potiſſimum materiam de infallibilitate Eccleſiæ noſtræ ſumpſeris tibi unicè impugnandam. Sic enim anſam præbuiſti nobis, rem fidei noſtræ unam omnium maximè neceſſariam, qualis eſt infallibilitas hæc, declarandi uberiùs; quod ita optabile mihi quidem eſt, ut nihil magis. Intelligetis hac occaſione. ô Teutones, doctrinæ Catholicæ ſoliditatem, cernetis claritatem, veritatem palpabitis. Qui compendio breuiſſimo ſeductas animas veſtras Creatori ac Redemptori ſuo reducere vult (& per mille etiam pericula velle debemus omnes) qui obtenebratas, (& miſeret) intelligentias veſtras illuminare, hac viâ incedat, & præter hanc infallibilitatem duo ſolum præterea vos admoneat. quæ, oro, ut benignis animis, quali ego proloquor, breuiſſimè accipiatis. Primò omnium declaret, qui conſultum ſaluti veſtræ vult, dari Eccleſiam Chriſti in terris, eámque unam, quemadmodum Nicænum Concilium ab utraque parte receptum confitetur:

Credo vnam, Sanctam &c. Eccleſiam.

Neque difficulter, ut opinor, in hoc primo puncto utraque pars, ceterà diſſidens, conueniet.

Secundo loco probet hanc unam Chriſti Eccleſiam eſſe in dogmatibus ſuis infallibilem, ob rationes ſupra à me allatas §. ultimo ex Scriptura, Conciliis, Patribus, Ratione; denique & ipſis aduerſariorum, quæ pro nobis potiùs, quàm pro ſua parte faciunt, teſtimoniis. Neque hic difficiles fortaſſe experieris aduerſarios, qui utique ipſi quoque nolent fallibilem & erraticam poſthac Eccleſiam habere, aut etiam cenſeri habere, atque adeo temere tali Eccleſiæ credere, & ſpes ſuæ ſalutis affigere. His duobus autem conceſſis, ſcilicet unam tantùm veram Chriſti Eccleſiam, eámque infallibilem eſſe, non ſupereſt (expende ipſe apud te, & aſſenties) non ſupereſt, inquam, niſi ut

Tertio loco quæratur quænam illa vera Eccleſia, eáque una ſit, ídque quæratur affectu ſincero, & vacuo. Num Catholica? Num Lutherana? Num Caluiniana? Num quarta aliqua, & noua ex his mixta, ut Calixtina &c. Sed quâ ratione hoc, in quo utique rei totius cardo vertitur, deprehendemus? inquies. Minimè operosè, mi Lector. Habet ſigna ſua, ſuáſque notas Eccleſia vera non aliter, ac ſua gentilitia inſignia quælibet familia nobilis, aut quemadmodum Hoſpitium ſiue diuerſorium, ſuum, quo dignoſcatur, ſcutum, ſiue Coronæ, ſiue Vuæ, ſiue quodcumque aliud. Et verò non eſt aliud vera Eccleſia Chriſti, quàm familia Chriſti, Matth. 24. Luc. 12. non eſt etiam aliud, quàm hoſpitium ſiue diuerſorium, quo cibandos & ſanandos vulneratos ſuos bonus Samaritanus inducit. Luc. 10. Et quæ notæ illæ ſunt, quæ ſigna, quæ ſcutorum & Inſignium ad inſtar ſint? Quatuor ſemper agnouit Eccleſia, & ſufficientia iudicauit, ita tradentibus Apoſtolis, & Nicænis 318. Patribus, quos neque ſapientes Lutherani repudiant. Eæ autem notæ ſunt

I. Vnitas.
II. Sanctitas.
III. Uniuerſalitas, ſiue id, quod eſt eſſe Catholicum, & toto orbe diffuſum.
IV. Eſſe Apoſtolicam, ſiue Apoſtolicam & ſucceſſionem, & doctrinam habere.

Has notas quatuor, tradiderunt poſt Apoſtolos in Symbolo, dicti Sancti Patres Nicæni, acceptante uniuersâ Eccleſiâ, in ſynodo ſua his verbis.

Credo VNAM, SANCTAM, CATHOLICAM, & APOSTOLICAM Eccleſiam.

ET quia mille ac trecentis annis hæ notæ ſuffecerunt Eccleſiæ DEI, & nobis debent ſufficere, niſi hoc ipſo ſuſpectos nos reddere & doctrinas noſtras velimus, ſi reiicimus, quod tota retro Eccleſia acceptauit, approbauítque.

His autem Notis & admiſſis, quod ſapientis eſt, & bene intellectis, unum porro

porro & ſolum neceſſarium eſt, ut hæ quatuor notæ, veluti quadruplex norma à ſtudioſo ſalutis ſuæ, ceu ſapiente architecto, iis, quæ hodie feruntur, diuerſis Eccleſiis, Catholicæ, Lutheranæ, Caluinianæ &c. ſtudioſè & architectonicè applicet, id eſt, probè peruideat, quænam ex dictis Eccleſiis Normæ huic, vel potius Normis hiſce congruat, cui item Eccleſiæ congruant iſtæ Normæ.

Si normæ huic Lutherana Eccleſia congruat, id eſt, ſi ipſa inueniatur *vna* & concors in dogmatibus ſuis; inſuper & *Sancta*, maximè quoad doctrinas ſuas. Si reperiatur præterea eſſe *Catholica*, & toto orbe diffuſa, denique & *Apoſtolica*, habens ſucceſſionem tum Paſtorum ſuorum legitimè vocatorum, & vocationem hanc ſuam probare inde uſque valentium; tum etiam doctrinarum inde uſque ab Apoſtolicis temporibus in Eccleſia vigentium; ſi, inquam, Lutherana Eccleſia, ſiue, ut hodie vocari mauult, Confeſſio Auguſtana, quatuor has notas inueniatur habere, & ſic normæ huic congruere; (ex hypotheſi loquor) iam ſalua ſunt omnia, omnia in expedito. iam finis controuerſiis omnibus particularibus feliciter eſt impoſitus. Sic enim deinceps licebit ratiocinari.

Datur Eccleſia aliqua Chriſti in terris, eáque una, non plures. Eſt articulus fidei in Symbolo Apoſtolorum incluſus, ordine Nonus.

Hæc autem Eccleſia Chriſti eſt infallibilis in dogmatibus ſuis; quia aliter ipſi nullus ſecurè ſalutem ſuam crederet, & Decretis ipſius tranquillo animo acquieſceret, uti oſtenſum eſt ſupra pluribus.

Eſt autem non alia, ſi Notæ dictæ ipſi conueniant, quàm Lutherana (iterum ex hypotheſi loquor) Iam non eſt itaque cauſſa ulla, cur de Lutheranis dogmatibus omnibus dubitem amplius, aut in particulari multa ſuper illis diſquiram, diſputem, aut diſputari audiam.

1. Verè igitur ſola fides iuſtificabit. (iterum ſub hypotheſi loquimur,)
2. Verè Sacrificium miſſæ abominatio erit apud Deum.
3. Verè Romanus Papa ipſiſſimus erit Antichriſtus.
4. Verè Purgatorium nullum erit, nec Sancti erunt inuocandi.
5. Verè præcepta Decalogi ſeruari non poterunt.
6. Verè Communio ſub utraque ſpecie erit fideli populo neceſſaria, & non ſub una tantùm.
7. Verè opera bona mercedis æternæ erunt expertia &c.

Si enim Lutherana Eccleſia vera Eccleſia eſt (eſt autem, ſi prædictæ notæ omnes ipſi conueniant) vera autem Eccleſia in dogmatibus ſuis infallibilis eſt; hæc autem, quæ diximus, dogmata ipſius indubitata ſunt; hæc ipſa dogmata etiam indubitatè vera erunt; & ſecurè quoad hæc omnia, & alia eiuſmodi dogmata Lutheranæ Eccleſiæ credetur, cùm ex data hypotheſi infallibilis quoad dogmata ſua ſit ea Eccleſia, quæ vera Eccleſia eſt. Ecce compendium omnium controuerſiarum,

ſimúlque finem. Ecce ut hæc tria ſola diſquiſitu neceſſaria ſint, quæ ſimul tam ſunt facilia, ut etiam idiotæ capere valeant. idque omnino neceſſarium eſt, cùm idiotarum & ſimplicium, (quos ſcriptura paruulos appellare ſolet) plures ſemper ſint, quàm ſapientium & litteratorum. Et hæc eſto prima hypotheſis. Sequitur altera, quæ talis eſt.

Si verò per diſcurſum rationabilem non Lutherana, non Caluiniana, non alia ulla Religio, ſed ſola Catholica Romana, Normæ huic, quatuor ſcilicet hiſce notis inueniatur congruere. Si nimirum ſola Catholica eſt *VNA* & concors in dogmatibus ſuis, nec in ullas ſectas diuiſa. Si ſola etiam eſt SANCTA, ſcilicet Radix ſancta, quæ ſanctos homines, ceu fructus ſemper protulerit, & etiamnum proferat, & doctrinas habeat ſanctas, unde ſancti eiuſmodi oriantur. Si ſola etiam eſt CATHOLICA & vniuerſalis, id eſt, toto orbe diffuſa (uti profectò tertia hæc nota, uni ſoli Romanæ, & congruere non iam creditur, ſed palpatur) ſi denique & in ſucceſſionibus Paſtorum ſuorum, & in doctrinis ſuis omnibus APOSTOLICA eſt, id eſt, tam ſucceſſiones ſuas ad ipſos Apoſtolos, quàm doctrinas ad Apoſtolica tempora referre poteſt (uti omnino poteſt, nec aliter ſibi credi poſtulat, nóſque ſeorſim de ſingulis probare paratiſſimi ſumus.) In ſumma, ſi Catholica noſtra ob has notas ſuas eſt vera illa Eccleſia, quam in terris Chriſtus unicam habet; vera autem illa Eccleſia infallibilis eſt, ut probauimus eſſe; talis etiam Catholica Eccleſia erit, ſcilicet infallibilis in omnibus dogmatibus ſuis, nullo excepto.

1. Verè igitur non ſola fides iuſtificat, ſed illa ſolùm fides, quæ per charitatem operatur, & adiuncta alia bona opera habet, ad quæ charitas urget.
2. Verè Miſſa eſt ſacrificium nouæ legis incruentum, & non abominatio coram DEO.
3. Verè Romanus Pontifex non Antichriſtus eſt, ſed Vicarius Chriſti, & viſibile Caput Eccleſiæ in terris.
4. Verè Purgatorium eſt, & Sancti ſine piaculo ullo, piè rectéque inuocantur. atque ita de ceteris.

Ecce iam reperimus hac methodo, quod tam ſolicitè quærebamus, omnium ſcilicet particularium controuerſiarum finem, pauculis his, tribus ſcilicet quæſtiunculis, concluſum.

An ſit Eccleſia, eáque una?

An ſit infallibilis in dogmatibus ſuis?

Quæ nam ex omnibus aſſertis Eccleſiis ſit vera, id eſt, Notis ſuis & ſignis veræ Eccleſiæ conſpicua.

Sic enim vides cadere continuò particulares controuerſias omnes, & animum plenè quietum in fide ſua reddi, illúdque reſtare ſolum, ut Catholicus v. g. ſtudeat rationes illas intelligere, ſi tantum intelligentiæ habet, ob quas credit vera Catho-

lica

lica Eccleſia fidem v.g. ſolam non iuſtificare; ſacrificium Miſſæ eſſe verum ſacrificium &c. ad hoc, ut poſſit rationem reddere de fide ſua omni poſcenti rationem de ea, iuxta S. Petrum. 1. Petr. 3. 15.

Ecce, Tremelli, quantorum nobis bonorum auctor fias, dum id minimè intendis. Illuminas, dum caliginem paras offundere. Nociturus ex ſenſu tuo, prodes contra ſenſum tuum. Hic luſus diuinæ ſapientiæ, & prouidentiæ eſt, Prov. 8. quas ſimul omnes adoremus.

Allocutio extrema ad omnes Confeſſioniſtas.

ATque hæc, rogo iterum, benignis oculis animíſque accipite, quot quot eſtis columbæ ſeductæ Ephraim. quod utinam tandem credatis? Ex hoc enim ſalus. Ut credatis autem, fortè hoc etiam ſcriptum breuiculum, veſtro bono, & ſi vultis, æterno, Tremellianæ Reuocatoriæ occaſione confectum à me iuuabit, ſed non ſine Numine clementiſſimè iuuante, & plantationi ac rigationi noſtræ incrementum dante. Videtis, opinor, palpatíſque, quàm miſerabiliter, quàm eneruiter etiam à doctiſſimis inter vos Catholica doctrina oppugnetur, non per argumenta, arma ordinaria, quod licet & decorum eſt, ſed per arma vetita, calumnias, pſeudologias, alogias undique ex ſcriptis veſtrorum emicantes. Videtis & illud, niſi obſtinatis animum non videre, (quod non credam) quàm è contrario ſolidè, non per machinamenta, ſed argumenta, Catholici nos dogmata noſtra ſtabiliamus, aſpirante illo, qui promiſit veris fidelibus ſuis, maximè autem doctoribus aliorum, quod Luc. 21. v. 15. legimus: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt contradicere & reſiſtere omnes adverſarii veſtri.*

Quare quid nunc agendum vobis, quid de ſalute veſtra ſtatuendum ſit, conſiderate. Una eſt fides & Eccleſia. Et Eccleſia illa infallibilis eſt, & errare non poteſt. Et illa alia non eſt, quàm Romano-Catholica; quod quidem per euidentes ſuas notas probat. Deliberate. Diu, inquies, deliberandum eſt, quod in re tanti momenti ſtatuendum eſt ſemel. Non prohibemus, nec inficiamur. Diu deliberat, qui ſepoſito affectu etiam per hebdomadem unam, aut diem unam deliberat. Qui verò vita totâ deliberat, & nihil unquam ſtatuit, non deliberat, ſed delirat. De tali poſthac cœlum deliberabit, ut abeat in locum ſuum, de quo nemo deliberat.

Allocutio altera ad D. Io. Georgium Tremellium.

TU verò olim nobis Chariſſime, olim & Reuerende, at non & Domine Tremelli, ſed multò amœniori vocabulo, Pater. Si prodigum egiſti tantillo tempore; ſi fugiſti, nemine perſequente; ſi ſubſtantiam tuam ad inſtar prodigi decoxiſti; ſi ſiliquis paſtus es, at non obſaturatus, uti & Prodigus, in altero quoque imitare Prodigum.

digum. Redi. Uno tibi apud miſericordiſſimum Patrem, cúmque duplicem, verbo eſt opus: *Peccaui.* Exſpectat uterque Pater, aut potius triplex, & tendit brachia. exſpectat & mater, illa quoque gemina. Conſpuiſti quidem & illius, & huius paternam, maternámque faciem (nec enim totâ reuocatoriâ aliud egiſti) felle atro flauóque, quæ morbi tui cauſſa eſt. Ignoſcent nihilominus ambo agnoſcenti. Morbi adſcribent violentiæ, quæ mentem eripuit tantiſper, atque ita euertit, ut accedentem ad ægrum matrem hoſtem putares; Patri ceterà ſanctiſſimo, & tuo quoque calculo, cùm deferbuit paroxyſmus, probiſſimo, inimici imponeres, imò Antichriſti ipſius perſonam. Spectris exterritus es, mi Tremelli, ut euenire ægris ſolet. Non erant, quos morbus tibi dictauit eſſe, non ſunt. Ecce quos conſpuebas, qui Monſtra tibi videbantur, Medici ſunt: ægro medicinam offerunt, pœnitentiæ aloën. Scis modum adhibendi. Scis vires. adhibuiſti ipſe olim aliis & ad ſanitatem reduxiſti, quis dubitet? multos, eóſque inter fortè & hæreticos, quorum morbus contagione ad te proſerpſit. Uſurpa nunc ipſe medicamina, quibus alios iuuiſti, & noli eſſe nequam erga te, ut cum ſcriptura loquar, Eccli. 14. qui tot aliis tam bonus fuiſti. Reſipiſce, & quod addo ex intimo animo, vale & reualeſce.

Omnia ad Majorem DEI Gloriam.

Errata Typographica, vel omiſſa.

In Præfat. pag. 3. Lin. 10. Cic, in Sal. *Lege*. Sal. in Cic.

Pag. 6. lin. penult. *quæq, ad mores*. intellige non mores uniuerſales Eccleſiæ, vel de iis decreta Pontificum, quæ virtualiter in decretis dogmatum includuntur; ſed mores hominum particularium, ad quos ex vero iudicandos infallibilitas Pontificis neutiquam ſe extendit. Pag. 7. lin. 10. ſctiptor. l. ſcriptor. Pag. ead. lin. 14. Pannormitanum. l. Panormit. Pag. 8. lin. 15. atbitrio. l. arbitrio. Pag. 10. lin. 26. in urbe. l. in Vrbe. Pag. 11. lin. 24. acutario. l. auctario. Pag. 12. lin. 5. à fine. amnino. l. omnino. Pag. 14. lin. 9. plamarium. l. palmarium. Pag. 15. lin. 16. confidentem. l. conſidentem. Pag. 16. lin. 23. afferi. l. afferri. Pag. 19. lin. 11. iudaicas. l. Iudaicas. Pag. 20. lin. 11. inautiſſimus. l. incautiſſimus. Pag. 25. lin. 6. fallibilis eſt. intellige, quia in deductione errari poteſt. Pag. 28. lin. 14. de ſecunda. l. de ſecundo. Pag. 30. lin. 3. controuerſum eſſe. adde. communiter. Pag. ead lin. 13. Concilia. adde Generalia & ſolennia. Pag. 31. lin. 22. tuæ. l. ſuæ. Pag. 36. lin. 19. Petre. l. Petri. Pag. 37. lin. 13. ſuffraganeus. l. Suffraganeus. Pag. ead. lin. 24. noſtras. l. noſtros. Pag. ead. lin. 27. fucceſſoribus. l. ſucceſſoribus.

SPECIAL 93-B
6019

THE GETTY CENTER
LIBRARY